

JOANNIS SCHILDI

DE

COALITIONE POPULORUM AC RERUMPUBLICARUM

LIBRI TRES.

In quibus Coaleſcentium initia, conditiones, res florentes, controverſiæ, vitia, res labantes, diſſolutiones, ex omnis ævi Hiſtoria eruuntur, ac diſſertationibus Politicis illuſtrantur.



HAGÆ-COMITUM.

Ex Typographia ADRIANI VLAC.

cIↃ IↃ CLXI.

POLITICAM
ET
HISTORIAM ADAMANTI
LECTORI
JOANNES SCHILDIUS
S. D.



Ujus Opusculi perquam tenues orsus, & quasi prima quædam incunabula, Serenissimi quondam Transsylvaniæ Principis Ragotzkii Legatus vi blanda nobis extorsit, ac deinceps in extera secum Regna, Respublicasque, deportavit. Exinde cordati aliquot Heroes, ac populis impositi Proceres, desiderii sui nobis copiam fecere, ac, uti cœpta promoverentur, paulloque diffusius argumentum tam nobile tractaretur, enixe postulare

non ſunt dedignati. Paruimus. Præſertim, quod ipſius materiæ ſplendor atque majeſtas animum noſtrum erigeret, ac tam pulchra maximorum hominum poſtulata commendaret. Itaque mittendas in præterita cogitationes exiſtimavimus. Per orbem, ac per ſecula, ſpatiamur. Ex Hiſtoria Romana, Græca, Barbarica, gentes evocamus: donec ad recentiora paullatim tempora devoluti, in Belgio, Britanniaque, deſinimus. Occaſiones Coaleſcentium, initia, conditiones, res florentes, controverſias, vitia, res labantes, diſſolutiones, eruere paſſim ac repræſentare conamur. Et magnarum & modicarum, & permixtarum & impermixtarum, & arctius & laxius inter ſeſe devinctarum monimenta Rerumpublicarum producimus. Suæ quisque Reip. quod frugiferum atque magnificum putat, inde capiat. In ſpem ingredimur, egregie LECTOR, hujuſcemodi qualia-

liacunque molimina nostra tibi non omnino displicitura. Prospere constanterque Vale. Antwerpiæ, Kal. Octobr. anni cIↄIↄclxi. post atrocem ac prope supremum morbum, qui nos Lovanii nuper invasit, indulgentia Dei Opt. Max. cura Principis hac ætate Medicorum Vopisci Fortunati Plempii, profligatum.

CORRIGENDA.

IN Capitum Indice lib. I. c. 16. legatur Antonini. Lib. II. c. 13. deleatur, Ætoli. c. 14. leg. Agelai Ætoli. c. 16. ignobilioris. Lib. III. c. 5. Helvetiorum. Pag. 2. lin. 9. repræsentat. p. 3. l. 13, prosilire. p. 4, l. 2. & ex. l. 3. Sabinis p. 7. l. 23. prisco, p. 8. l. 13. regnarunt. l. 20, nationum. p. 9. l. 26, obtudissent. p. 11. l. 7. partes l. 15. fata. p. 14. l. 11. inferiorem. p. 15. l. 22. adscititiosque. p. 16. l. 8. origines, p. 19. l. 4. tergemini. l. 18. dedignabatur, l. 25. fastigia. p. 21. l. 24. junxit. p. 24. l. 2. Hetruriæ. l. 15. Tarquinii, p. 26. l. 26. triumphatur. p. 29. l. 19. confestim. p. 33. l. 16. Antoninum. p. 34. l. 10. creari. p. 36 l. 27. videretis p. 37. l. 4. conditiones. Ib. utrisque: p. 40. l. 5. famaque l. 17. corruerent. p. 45. l. 26. permisit p. 46. l. 8. laudandam. l. 21. At. p. 38. l. 21. lib. L. p 50. l. 23. connubii. p. 53. l. 5. resipuissent. p. 54. l. 18. designavere. p. 56. l. 22. elusos. p. 59. l. 4. Vipsanio. Ib. supplendo. p. 60. l. 2. Patriciorum l. 15. alienigenis p. 62. l. 12 exercuerunt Divum Julium. p. 65. l. 22. suspecta. p. 66. l. 19. innectentes, 67. l. 18. lib. L. p. 68. l. 25. esset. p. 70. l. 19. amplectebatur. p. 71. l. 26. potentissima. p. 72. l. 18. abolitisque. p. 73. l. 21. Proinde pacem. p. 79. l. 7. rato. p. 80. l. 3. religiones. l. 21. perhibentem. p. 81. l. 25. regessere, p. 85. l. 8. edito, quod. l. 13. jam &. p. 86. l. 2. recuperavere. p. 88. l. 15. vocant. p. 96. l. 1, quos. l. 6. chlamyde. p. 100. l. 7. perscripserat. p. 103, l. 23. complerentur. p. 109. l. 11. Megalopolitanus. p. 110. l 1. VII, l. 9. plurimum, l. 17. fulmen p. 112. l. 4, octavum. p. 115. l. 24. præcidentes, p. 117. l. 19. del. &. p. 119, l. 8. queri. p. 122, l. 16, Eumenem. p, 125. l. 16. Demiurgi. p. 127. l. 5. sanæ, p. 129. l. 20, arbitra, p. 134. l. 14, extorquerent, p. 134. l. 14, Lamiam. p. 135. l. 19. Scopa. p. 145. l. 11. ferocire. p. 148. l. 2. Lycomedes p. 149. l. 6. Pamboeotia, l, 17. Thebanos. p. 151. l. 23. urbs est. p. 152. l. 8. Accedentibus. p. 157. l. 1, Item. l. 8, revellendam. p. 163. l, 2 Helveticrum. l. 4, ipsarum p. 171, l. 20. contendentibus. p. 172. l. 14, temporis.

INDEX CAPITUM.

LIBRI PRIMI CAPITA.

XVII. *Con-*

LIBRI SECUNDI CAPITA.

LIBRI

Libri Tertii Capita.

JOAN-

JOANNIS SCHILDI

DE

COALITIONE POPULORUM, AC RERUMPUBLICARUM

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Coalitio ante Romulum.



Iſtoricorum primus in hunc campum prodeat qui ſcripturiendi ſuper hoc nobili argumento primam nobis aperuit occaſionem. Criſpus Salluſtius in bello Catilinario: *Urbem Romam (ſicut ego accepi) condidere atque habuere initio Trojani, qui Ænea duce profugi incertis ſedibus vagabantur: cumque his Aborigines, genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio, liberum atque ſolutum. Hi poſtquam in una mœnia convenere, diſpari genere, diſsimili lingua, alius alio more viventes, incredibile memoratu eſt, quam facile coaluerint.* Exinde res eorum agris, civibus, legibus aucta, ſatis proſpera ſatiſque pollens videbatur. Haud vero Criſpum comitari dedignentur illa prælustria Liviana: *Ut*

animos Aboriginum sibi conciliaret, ne sub eodem jure solum, sed etiam nomine omnes essent, Latinos utramque gentem appellavit: nec deinde Aborigines Trojanis studio ac fide erga Regem Æneam cessere. Fretusque his animis coalescentium indies magis duorum populorum Æneas, quanquam tanta opibus Hetruria erat, ut jam non terras solum, sed mare etiam, per totam Italiæ longitudinem ab Alpibus ad fretum Siculum, fama nominis sui implesset, tamen cum mœnibus bellum propulsare posset, in aciem copias eduxit. Heroicam viri modestiam Maro repreſentat, in duodecimo librorum ejus gloriæ dicatorum.

Sin noſtrum annuerit nobis victoria Martem,
Ut potius reor, & potius dii numine firment,
Non ego nec Teucris Italos parere jubebo,
Nec mihi regna peto: paribus ſe legibus ambæ
Invictæ gentes æterna in fœdera mittant.

Sed & in eodem libro producit obſtrepentem magnanimo conatui Iunonem, &, ſiquidem omnino jungenda ſint utriuſque populi fata, ſaltem Latini moris ac nominis occaſum deprecantem. Sic enim illa Iovem obteſtatur.

Illud te, nulla fati quod lege tenetur,
Pro Latio obteſtor, pro majeſtate tuorum:
Quum jam connubiis pacem felicibus (eſto)
Component, quum jam leges & fœdera jungent,
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri jubeas, Teucróſque vocari,
Aut vocem mutare viros, aut vertere veſtem.

Anxiam uxorem ſolatur erigitque Jupiter.

Do quod vis, & me victúſque volenſque remitto:
Sermonem Auſonii patrium moreſque tenebunt,
Utque eſt nomen erit: commiſti corpore tantum,
Subſident Teucri: morem rituſque ſacrorum

Ad-

Adjiciam, faciamque omnes uno ore Latinos.
Hinc genus, Ausonio mistum quod sanguine surget,
Supra homines, supra ire deos pietate videbis,
Nec gens ulla tuos æque celebrabit honores.

Post multam deinde seculorum intercapedinem læta posteritas affectus suos instauravit, quos illa inclyta majorum coalitio pepererat. Quum enim in Asiatica contra Antiochum expeditione legiones Ilium attigissent, flagranti sese invicem gratulatione Romani & Ilienses excepêre: Iliensibus Æneam cæterosque cum eo duces à se profectos, Romanis se ab his procreatos gloriantibus: ac tanta cunctorum erupêre gaudia, quanta post longi temporis absentiam in complexu parentum ac liberorum, prosilere solent. Videre juvabat Ilienses, nepotes suos, Occidente & Africa domita, Asiam ut avitum regnum vindicare, optabilem Trojæ ruinam fuisse dicentes, ut tam auspicato tamque splendide renasceretur: at Romanos illud ipsum sacrosanctum solum, quod avitos lares, & incunabula majorum tulerat, inexplebile desiderium videndi tangendique tenebat. Quos amores Justinus, aliique prodidere.

Caput II.

Quomodo Romuli, ac Sabinorum Regis Tatii, Regna populique coaluerint.

Romulus, quæ non poterat à volentibus impetrare vicinis, manu capiunda matrimonia putavit. Itaque ludis equestribus simulatis, quæ spectatum venerant Sabinorum

virgines, ipsæ spectaculum pariter ac præda rapientibus extitere. Hinc atrox indignatio, ex indignatione bellum. Erumpentibus ad mœnia usque, Tatio duce, Sabinus diu in ancipiti certamen hæsit, ut videretur nescio quid deliberare fortuna. Tandem sævientibus intervenere raptæ, scissa veste lacerisque comis: ausæ, victo malis muliebri pavore, inter districtos cominus mucrones ac tela volitantia semet inferre. Enimvero ex transverso impetu facto, diremere infestas acies, diremere iras, hinc patres, hinc viros invadentes, ne se sanguine nefando soceri generique respergerent, ne partus suos, illi nepotum, hi liberorum progeniem, parricidio pollutum irent. Silentium & repentina fit quies, stat utrinque defixus attonitusque miles, posteaquam bellatricem dexteram cum Gratiis Verticordia Venus inhibuit: tum paullatim

Pax animo tranquilla datur, pugnasque calentes
Deserit, ac rutilas declinat in oscula cristas.

Hersilia virago, cum qua Sabinarum lectissima Romulus ipse coaluerat, insigni stipata raptarum comitatu jam ante prælium in Senatum venerat, & exquisitis precibus assessores mariti fatigaverat, omnes uti pietatis ac industriæ nervos intendere sibi liceret, *ad Sabinam Romanamque gentes in unam contrahendas*: quemadmodum perhibet in antiquitatum secundo Dionysius Halicarnasseus. Abrupto prælio Valerius, è majoribus Poplicolæ, præcellentem contulisse operam dicitur ad abrumpendos fœminarum metus, ac præ cæteris impulisse Reges, ut hostilia ponerent, *& ex hostibus unum*

unum populum facerent : ut autor eſt in vita Poplicolæ Plutarchus.

Deſcenderunt igitur in colloquia Reges, ac miſcendas impoſterum ſpes ſuas, unumque populum utrique regundum decrevere. Livius: *Inde ad fœdus faciendum duces prodeunt: Nec pacem modo, ſed & civitatem unam ex duabus faciunt, Regnum conſociant, imperium omne conferunt Romam.* Florus: *Sequuta res mira dictu, ut relictis ſedibus ſuis novam in urbem hoſtes demigrarent, & cum generis ſuis avitas opes pro dote ſociarent.*

Ovidius in ſexto Faſtorum:

Venit Apollinea longas Concordia Lauru
Nexa comas; placidi numen opuſque ducis.
Hæc ubi narravit, Tatium fortemque Quirinum,
Binaque cum populis Regna coiſſe ſuis:
Et lare communi ſoceros generoſque receptos:
His nomen junctis Junius, inquit, habet.

Hinc ſcriptores urbem dixere geminatam: quandoquidem prioribus incolis haud numero inferiores influxere Sabini. Age vero, vincula contemplemur, quibus hanc novæ neceſſitudinis illigavere conjunctionem. Ea partim in cultu deorum, partim in temperandæ ratione reip. contemplanda præbentur. Quod ad deos attinet, receptas utrinque cærimonias ac ſacra junxere. Non enim ſua paſſus eſt aboleri Sabinus. Inſtituti à Tito Tatio ſodales Titii (*Sacerdotes Titiales* lapidum loquuntur inſcriptiones) *retinendis Sabinorum ſacris*, inquit Annalium primo Tacitus. Sed ut erat haud diſſociabili circa religiones ingenio, neque Romulidarum ipſe numina ſprevit, neque ſua viciſſim illis offerre propi-

tianda dubitavit. Quod enim complures acceperit â Sabino Roma deos, è Varrone didicimus, eorum texere catalogum auſo, qui viderentur importatores redolere Sabinos. Hoc videlicet illud eſt, quod in prima Regum pactione ſollicite cautum prodidit Halicarnaſſeus, *Ut utrinque Sacra communicarentur.* Ad remp. æquabiliter, averruncata partium æmulatione, temperandam, artes & inſtrumenta plurifariam inventa fuere. Quum de populorum coaleſcentium appellatione diſceptaretur, Sabinum quidem nomen expungi placuit, at incolume præſtari Romanum: rurſus autem Tatii Regis honori tributum, ut ab ejus patria Curibus conjunctim univerſi *Quirites* appellarentur, eoque nomine publice verba facturi populum ſalutarent. Geminato populo Patriciorum quoque numerum geminare viſum, allectis in eum ordinem totidem de novitiis civibus, quot erant anteriores: at centum ex iis, curiarum ſuffragatione delectos, priſtini Senatus Centumviris adjecere. Quum vero deliberationem negotia poſcerent, non ilico ſociis cogitationibus ea permiſere Reges, ſed uterque ſeorſim cum centum ſuis Patriciis *negotia prætractabant*, ut loquitur alicubi Tacitus: deinceps, unum in locum coacti omnes, conſilia ſententiaſque miſcebant. Is locus dedicatum Vulcano fanum fuit. Nam quærere Plutarcho lubet, in quæſtionum Romanarum libello, cur extra urbem Vulcano ſacraverit ædem Romulus? ut inibi (reſpondet) ipſe Tatiuſque collega, ſepoſiti ab urbico ſtrepitu, cum Senatu de rebus arduis in conſilium irent. Tres Plebem diſtinxere Tribus: Ram-

nenſem

nenſem Romani, Tatienſem implevere Sabini, cæterorum conflugem advenarum Lucerenſis accepit: ſingulæ vero tribus decem numeravere curias, grata pacatricium Sabinarum appellatione ſuperbientes. Eo etiam ordine militaria digeſſere qui omnes omnino copias invidiæ livoriſque profligaret. In equeſtri militia tres centuriæ, totidem è tribubus conſcriptæ, tribuumque titulo decoræ, luſtrabantur: pedeſtrem bellatorem legio habebat, è tribus compoſita millibus, unaquaque tribu ſingula millia ſuppeditante, ſingulis ductanda Tribunis: & originem huic fonti Tribunorum appellatio debet quod è ternis tribubus terni quondam ad exercitum præfecti mitterentut. Hæc, de Tatianæ coalitionis inſtitutis, eruere potuimus è ſummorum Hiſtoricorum monumentis: cætera ſubducit obruitque vetuſtas. Apparet autem, eo cuncta æquari facile potuiſſe, quod pares coaleſcentium vires confluxerant. Sed & hîc utrinque poſteriora ſecula laudavere ſapientiam priorum. Permiſſa Conſulibus urbe, Sabinos inter, qui remanſerant in avita regione, princeps oppidi Regilliani Clauſus ad tranſitionem quinque familiarum millia concitavit: ipſe in ampliſſimum ordinem cooptatus, reliqui civitatis æquo jure donati, fortunæ Quiritium ſemet inſeruere. Maro:

Ecce, Sabinorum priſco de ſanguine, magnum
Agmen agens Clauſus, magnique ipſe agminis inſtar:
Claudia nunc à quo diffunditur & tribus & gens
Per Latium, poſtquam in partem data Roma Sabinis.

Paucis annis interjectis, alii miſſa legatione Romanarum virginum nuptias ambivere, deſtinationem miſcendarum

denuo

denuo nationum obtendentes: ſed id tunc quidem à temporum rationibus alienum videbatur: idcirco ſpes in irritum cecidere. Porro autem Romanos inter, Tribunus plebis Canulejus, adverſus patres concionabundus, apud Liv. lib. 4. *Quid de T. Tatio Sabino dicam, quem ipſe Romulus parens Urbis in ſocietatem regni accepit? dum nullum faſtiditur genus, in quo eniteret virtus, crevit imperium Romanum: pœniteat nunc vos plebeji Conſulis, cum majores noſtri advenam regem non faſtidierint.* Et Senator Q. Cæcilius Metellus in oratione, qua diſſidentes acerbe Cenſores ad finiendas inimicitias, gratiamque reconciliandam, adhortatur, apud eundem Lib. XL. *Titus Tatius & Romulus, in cujus urbis medio foro acie hoſtes concurrerant, ibi concordes regnarant. Non modo ſimultates, ſed bella quoque finiuntur: ex infeſtis hoſtibus plerumque ſocii fideles, interdum etiam cives fiunt. Vulgatum illud quia verum erat, in proverbium venit: amicitias immortales, inimicitias mortales eſſe debere.*

Caput III.

Obortæ poſt Tatianam Coalitionem difficultates & iis adhibita remedia.

UTroque Rege ſuperſtite fata rationum in æquilibrio locata, ac paribus commodis, paribúſque propoſitis honoribus, qualiumcunque motuum amputatæ credebantur occaſiones. Veruntamen, ut eſt natura rerum humanarum, ac præcipue Politicarum, inquies & indomita, ilicet ab eorum exceſſu maximi controverſia momenti prorupit.

Tem-

Tempeſtatem illa naufragiumque minabatur, niſi moderata conſilia calidis, ac novitiam compagem laxaturis, prævaluiſſent. Tatio mortalibus exemto, ſolus tractabat imperii gubernacula Romulus: hunc quoque quum viſum ſibi forma, quam fuiſſet, auguſtiore, Quirinum ſe cœlitum in concilio vocari dictitantem, juramento Proculus affirmaſſet: agitare atque concutere cœpit Urbem tumultus, ob ambiguam difficilemque novi regis electionem. Enimvero veteri civi junctus adventitius, nondum alter in alterius animum immigraverat, quum ad hoc opus eſſet tempore: itaque cum populus ipſe fluctuabat, tum Patricios quoque ſuæ diſtrahebant in diverſa factiones. Regnari placebat univerſis: ſed diſtrictos divexatoſque tenebat ardua dubitatio, non modo cui capiti, verum etiam cui nationi tanti dignatio decoris obveniret. Livius: *Oriundi ab Sabinis, ne, quia poſt Tatii mortem ab ſua parte non erat regnatum, in ſocietate æqua, poſſeſſionem imperii amitterent, ſui corporis creari regem volebant: Romani veteres peregrinum regem adſpernabantur.* Nempe & hi, qui civitatem priores incoluerant, intolerandum viris fortibus exiſtimabant, admiſſos in Romana Sabinos imperium in eos, qui admiſerant, uſurpare: & Sabinorum quoque poſtulata non omnino fas & æquum deſtituere videbantur: quod, cum amiſſo Tatio, ſolum dominantem Romulum tuliſſent, & æmulationis aciem vel admiratione viri, vel alendæ deſiderio conjunctionis obtuliſſent, nunc demum regii faſtigii repoſcere vices auderent: præſertim qui par ad conjunctio-

nem robur attulissent, ac merito sibi geminatæ gloriam Reip. vindicarent. Hæ illos accendebant in certamina faces. Timor exinde Patres incessit, ne civitatem sine imperio, exercitum sine duce, multarum circa civitatum irritatis animis, externa derepente arma quassarent: itaque vim regiam, quando perpetuam differre discordiæ cogerent, temporariam faciendam & inter se dividendam censuere. Ducenti Patres Conscripti (tot enim veteres, novique, numerabantur) in decurias distributi, decem è suo corpore, sortito primis omnium designatis, imperii summam committebant: illi vero non simul omnes imperitabant, sed quinque dierum finibus unicujusq; circumscribebatur imperium: quo tempore civibus illum, fasces & reliqua regiæ potestatis insignia monstrabant. Qui primus imperio functus erat, id secundo tradebat, & hic tertio, donec per omnes in orbem imperitandi honos ivisset: peracto quinquaginta dierum curriculo, quo primi illi Decemviri regnarant, sorte producti decem alii eidem fastigio admovebantur. Hæc temporis divisio, mutatioque dominantium, & procerum & plebis obtrectationes domitura videbatur, cum quinque dierum interposita mora, idem & rex esset, & privatus fieret. Sed, quanquam civili admodum minimeque molesta ratione populo præessent, evitare tamen indignationem ejus turbasque nequivere. Sex aut septem decuriarum circumactus orbis erat, quum fremere vulgus, multiplicatam servitutem, ducentos pro uno dominos factos: illos regium decus, rem inter deos homi-

hominesque sacerrimam, minutatim discerpendo violare: & quæ alia Patres exagitandi, statumque præsentem traducendi libido suggerebat. Redeundum igitur fuit ad singularis ac perpetui reverentiam imperii. Hoc ut votis ambarum nationum responderet, ingenia moderata saluberrimum temperamentum reperere. Quod ostendit in vita Numæ Pompilii Plutarchus: *Tandem ita inter Patres convenit, ut altera ex altera Regem eligeret: ea enim potissimum ratione effici posse, ut & contentio cessaret, & Rex creatus utrisque ex æquo cuperet, alteris quod eum elegissent, alteris quod Gentiles ipsius essent. Ergo Romani, cum Sabini ipsis optionem dedissent, potius Regem ex Sabinis à se creandum rati, quam accipiendum, quem ex Romanis Sabini creassent, Numam Pompilium Regem eligunt.* Hunc obluctantem, ac vix omnium precibus expugnatum, propitia coalitioni facta rebus imposuere. Qui præcipuam in eo positam novi regni gloriam existimavit, ut abolita penitus extinctaque diversitate ac differentia civium, cunctarum & pabula & semina tollerentur offensarum. Unde cum animo suo reputans, ea corpora, quæ suapte natura difficulter aliis ob duritiem misceri queunt, diffracta in particulas, propter harum exiguitatem inter sese demum coire atque commisceri posse: statuit universam multitudinem in plures dispertiri portiones, atque ita primum illud & magnum discrimen, in minora tributum, è republica profligare. Portionum illarum materies artificia fuere: ita ut suum separatim corpus haberent aurifices, suum lapicidæ, tinctores, sutores, pistores, lanio-

nes, figuli, fabri: denique nullum non artificii genus peculiaria corpora recipiebant. Huic enim Pompilii ſcopo, ad interiorem populi mixtionem collimantis, antiquiſſimam ſui fundationem opificum collegia debent. Peculiare cuique corpori delubrum, & item unum commune cunctis erat. Atque ita tum demum ex ore animiſque mortalium feliciter evanuit illa differentia, qua alii Romuli, alii Tatii cives audiebant, in unum utriſque per ejuſcemodi collegia conflatis.

Caput IV.

De Populi Romani & Albani Coalitione.

DIctator Albanorum Cluilius interpellanda vicinorum incrementa exiſtimavit. Itaque, canente claſſicum Invidia, fulſere in campis cognatorum contraria ſigna populorum. Sed Cluilium quidem propera mortalitas intercepit, pœnitentiæ pignore veneno provocata. Poſtea vero Dictatore creato Metio Suffetio, quem & ipſum in Romana livor incitabat, vicit invidiam livoremque validior metus: quippe Vejentes, Fidenates, alioſque, conferre capita conſtabat, tenebras ac funus Albano pariter ac Romano minitantes. Miſſis igitur caduceatoribus, itum eſt in concordiæ reſarciendæ conditiones. Ex utriuſque populi dignitate ac commodo pacem conficiendam, communique decreto malorum præteritorum, & injuriarum

ultro

ultro citroque illatarum aut acceptarum, expungendam memoriam differebat Albanus: quæ nullo non ævo solita sunt à paciscentibus usurpari. At vero Rex Tullus Hostilius, ad quem eo tempore publica rei Romanæ fata pervenerant, oratione graviori, plenaque majestatis & altioris consilii, differentem excepit Albanum. Pars ejus potior hîc omnino subjici legentium oculis animisque meretur: quam sic exhibet in Antiquitatum tertio Dionysius Halicarnasseus. *Sed non satis est nos hoc solum spectare, quomodo præsentes inimicitias dirimere poßimus, sed etiam ne unquam posthac bellum inter nos iterum geramus, aliqua ratio est ineunda. Neque enim convenimus, ut inducias, sed ut pacem faceremus. Quomodo igitur firmam inire pacem queamus, & quid utrisque sit agendum, ut & nunc & posthac in perpetuum amici simus, tu ô Suffeti, omisisti, at ego hoc quoque addere conabor. Si nimirum Albani Romanorum opibus invidere desinant, quas non sine magnis periculis, ac multo labore, quæsiverunt. Nullam enim aut graviorem aut leviorem injuriam paßi, propterea tantum nos odio prosequimini, quia fortuna faventiore, quam vos, uti videmur. Item, si Romani Albanos suspectos habere, tanquam sibi semper insidiantes, & ab illis tanquam ab hostibus sibi cavere desinant. Quomodo igitur hoc utrumque fieri poterit? non si in fœderis conditionibus hæc perscripserimus, neque si utrique per sacra juraverimus (parva enim & infirma sunt hæc præsidia) sed si alteri alterorum prosperitatem communem duxerimus. Unum est, ô Suffeti, doloris, quem homines ex aliorum bonis capiunt, remedium, si nimirum qui invident aliorum bonis, non putent ea esse amplius aliena. Ut igitur hoc fiat, autor sum Romanis,*

nis, ut in commune conferant & Albanis impertiant omnia bona, quæ jam habent, & quæ imposterum sunt habituri: Albani vero alacriter accipiant, & contenti sint iis quæ dantur: utque vos omnes, aut saltem major pars & præstantissimi quique de vobis, Romanæ urbis incolæ fiatis. Neque enim Sabinis quidem & Hetruscis honorificum fuit, derelictis suis urbibus ad nos habitandi causa migrare, vobis autem genere conjunctissimis, si idem feceritis, indecorum erit. Quod si recusatis unam & eandem urbem nobiscum incolere, quæ jam ampla est, longe tamen amplior futura, ac Patriarum sedium amore detinemini, hoc saltem facite: Consilium unum publicum designate, quod commodis utriusque Civitatis consulat: & imperium tradita alterutri Civitati, quæ visa fuerit potentior, & quæ pluribus commodis interiorem afficere possit. Atque hæc quidem est mea sententia: &, si hæc fiant, tum demum nos constantes amicos fore, sed si duas urbes æque excellentes, ut nunc incolamus, nunquam nos concordes fore puto. Hæc præter omnem exspectationem audita consultationi procerum discutienda proposuit Albanus: ac repetito Tulli colloquio, sententiam suorum omnium consentientium atque conspirantium hanc esse respondit, non esse excedendum Alba, neque deserenda templa patriæ, majorumque lares: trahi tenerique cunctos dulcedine soli, quod per quinque secula majores tenuissent: præsertim nulla vi majore aut hostium, aut cœlitum, migrandi necessitatem imponente. Unum vero consilium publicum constitui, & unam esse civitatem imperatricem, haud sane displicere. Quum hactenus inter eos conveniret, difficilis emersit dubitatio, utri

civi-

civitatum is honos deberetur, ut imperii ſedes ac domicilium fieret: ſuæ quiſque patriæ ſplendorem illius prærogativæ deſtinabant. Ea ſe digniſſimos Albani prædicabant, quod & nobilitate originis, & multitudine coloniarum, cæteris Italiæ populis anteſtarent. Latinæ vero gentis imperium ad ſe jure optimo maximo pertinere, quod hoc jus ipſa natura mortalium animis infudiſſet, ut autores naſcendi complecterentur imperio ſobolem. Triginta colonias Albanas in Latinis numerari: Principi Romanæ præ reliquis obſequii modeſtiæque gloriam amplectendam, quod abs ſe deductarum recentiſſima coloniarum eſſet, non ante ſeculum tertium, ſed ante tertiam duntaxat ætatem proſeminata. Quandocunque natura, turbato inverſoque rerum ordine, liberis imperium tradidiſſet in parentes, aut poſteris in majores, tum ſe quoque, Romanorum progenitores, imperio Romano parituros. Neque temperatum fuit ab exprobrationis acerbitate: Albanos ſincerum ac ſui tantum generis eſſe populum, nullis hactenus permixtum populis, nulla fœdatum colluvione. Romam vero quid? nihil ibi nobile, niſi Albanum: pleraque vel conflugem, ac aſylum aperientis Romuli fæcem eſſe, vel irreptitios Hetruſcos, adſcitioſque Sabinos: hos attolli promiſcue proferrique, ſacerdotiis, magiſtratibus, ipſo denique regno prætumidos. Apud ſe nihil è patrio more, ritibuſque, labare: ſeptendecim ætatum diſciplina propulſari, quidquid ſordidum, incompoſitum, inquietum: in urbem Quiritium peregrinitatis ac novitatum

quaſi

quaſi ſentinam influxiſſe: & quia mixta omnia eſſent atque confuſa, non poſſe non identidem turbis ac ſeditionibus interſcindi publicam ſecuritatem. Omnium illud confeſſione comprobari, & integra corruptis, & compoſita turbatis, & ægrotantibus imperare recte valentia debere. Hæc Albanorum faſtidia ſic oppugnatum ivere Romani. Par utrobique fulgere natalium lumen: utriuſque populi primas origenes ad eundem tranſmarinum heroa referri. Quod aſſererent, oportere omnino Colonias urbium matricium juſſus ac majeſtatem venerari, tanquam hoc naturæ neceſſaria lege ſancitum foret, in eo neutiquam ipſos propitiam habere veritatem. Aliam eſſe domeſtici, aliam publici reverentiam imperii: illam equidem à natura imprimi, hanc tempori, caſibuſque, permitti. Extare notiſſimas fama nationes,quibus haud quaquam alienum à publica pietate videretur, in progenitores ſuos imperium exercere colonos. Adſpicerent in Græcia Spartanos, qui Dorienſibus utique, conditoribus ſuis, imperarent. Semet adſpicerent ipſos, qui oriundi ab Lavinienſibus, nunquam hercule paſſuri forent, Albanarum rerum ſumma Lavinium oppidum potiri. Quantumlibet excellentium inſtitutorum improbum & amentem interpretem eſſe livorem. Objici ſibi, quod exteros admittendo liberaliter,aut etiam adſciſcendo, ſpurium ac fœculentum reip. genus amplectantur. Atqui firmandæ potentiæ non aliud excogitari poſſe retinaculum validius: tantum abeſſe ut ejuſcemodi comitatis ulla ſe ſubire pœnitentia queat. Hac
arte

arte civitatem ſuam è parva magnam, & è contemtiſſima formidabilem evaſiſſe. Romulum, cum vix mille milites, ſub initia regni, numeraſſet, hac uſum arte, quadraginta ſex millia morientem reliquiſſe. Neque vero cives promiſcue cunctos attolli: caput rerum, cum Rege Senatum, virtutis ac ſapientiæ meritis eminere: corpus eſſe cæteram multitudinem, vim ac robur ad præſtantium virorum exſequenda conſilia miniſtrantem. Invidiosè lubrica turbarum exaggerari: hoc conſpici præcipuum in ſua rep. certamen, & ætate provectorum cum junioribus, & advenarum cum indigenis, utri pulchrioribus eam aut conſiliis, aũt facinoribus illuſtrarent. Et hæ quidem affectatrices imperii contentiones utrumque populum diſtringebant: ne tamen in prœlia ruerent, neve pulchra coaleſcendi deſtinatio flacceſceret, egregii monitores aderant Vejentes ac Fidenates, feſſos confectoſque, victorem pariter ac victum aggreſſuri. Expediunda igitur aliqua ratio videbatur, qua periculoſa prolatationum ambage reſecta, finiri extemplo controverſia poſſet. Pugnæ ſingulari ſeſe Rex Tullus offerebat, Albanumque Dictatorem ad virtutis æmulationem provocabat: detrectabat aleam Albanus, abſonum iniquumque dictitans, in dextera ſua ſpem totius civitatis unum portare mortalem: paullo ſaltem pluribus utendum dexteris eſſe, ut errorem unius alia corrigere ſuccedanea poſſet. Viſa eſt huic poſtulationi materiam ipſa ſuppeditare fortuna. In ambobus tum exercitibus forte tergemini fratres erant, & quidem conſobrini, nec

ætate, nec viribus diſpares: Horatios Romani, Curiatios Albani præbuere. Florus: *Quum pari robore, frequentibus prœliis utrique comminuerentur, miſſo in compendium bello, Horatiis Curiatiiſque, tergeminis hinc atque inde fratribus, utriuſque populi fata commiſſa ſunt.* Oroſius: *Diu altrinſecus ſpe incerta, certaque clade, tandem peſſimos exitus & dubios eventus compendioſa tergeminorum congreſsione finivere.* Victimis immolatis, ſuper eas ardentes & Romanus & Albanus ſanctiſſimum juramentum concepere, ſe in fortuna acquieturos, quamcunque ex eo conflictu conſobrinorum utraque civitas retuliſſet, & conſtanter pacta ſervaturos, & neque ſe, neque poſteros ſuos ullam fraudem illis unquam facturos. Conſederant utrinque pro caſtris exercitus, periculi magis præſentis, quam curæ, expertes: quippe de imperio agebatur, quod in tam paucorum virtute atque fortuna poſitum erat. Ergo, micantibus arbitris controverſiæ mucronibus, erecti ſuſpenſique, in minime gratum ſpectaculum animis intenduntur. Datur ſignum: infeſtiſque armis, velut acies, terni juvenes, magnorum exercituum animos gerentes, concurrunt: nec his nec illis periculum ſuum, ſed decus publicum, aut dedecus, obverſantur animo, futuraque ea deinde patriæ fortuna, quam ipſi feciſſent. Eventum certaminis arridentem magnitudini ſuæ Roma vidit.

Caput

CAPUT V.

Quomodo, punita Suffetii perfidia, res Albana immigraverit in rem Romanam.

POsteaquam controversiam tergimini fratres diremissent, Rex Tullus Hostilius ad concionem postridie convocatis Albanis, & delenifica eos allocutione consolatus, promisit se nihil turpe, nihil grave, nihil denique cognationi reluctabundum illis imperaturum, sed ex æquo bonoque coalescenti reip. præfuturum, & utriusque civitatis commodis uno & eodem affectu consulturum. Quumque nullas eorum consuetudines, instituta, leges aut abrogasset, aut interpolasset, domum copias reduxit. Ecce vero, Metium Suffetium, tertio nondum anno circumacto, transversum ambitio rapuit. Reliquerat illi Dictaturam Tullus, satisne prudenter, & ex usu temporum ac rerum, accurata judicia librent. Neque ea permovere hominem moderatio potuerat, ut acquiescendum præsenti statui putaret: precarium & obnoxium didignabatur imperium. Igitur ut prius in bello pacem, sic in pace postea bellum quærens, quia suæ civitati plus animorum quam virium fore cernebat, ad bellum palam atque ex edicto gerendum, alios concitat populos: suos, obtentu percolendæ societatis, & suppetiarum Romano ferendarum, proditioni peragendæ reservat. Longa est injuria, longæ ambages, sed nos summa sequimur rerum festigia. Tullus, in ipso

ipſo prœlio, ſubtilitatem hominis eluſit alia ſubtilitate majore. Mox converſus ad arctioris conſilia combinationis, ita pro concione auxiliares Albanorum copias eſt allocutus, Halicarnaſſeo Dionyſio repræſentante. *Non me latet, Albani, quidquam horum quæ veſtri purgandi cauſſa profertis: ſed multitudinem quidem veſtram arbitror proditionem ignoraſſe, hoc inde conjiciens, quia quæ multi ſciunt, ea ne per minimum quidem temporis ſpatium ſilentio tegi ſolent: at tribunorum & centurionum exiguam quandam partem, quæ contra nos conſpirarit, eſſe arbitror: ſed maximam partem deceptam, & ad non voluntariam neceſsitatem fuiſſe compulſam. Quod ſi nihil horum verum eſſet, & omnes Albanos qui hîc adſunt, & reliquos qui in urbe remanſerunt, deſiderium nos maleficio afficiendi invaſiſſet, idque non nunc primum, ſed jam multo ante à vobis decretum fuiſſet, tamen cognationis ſaltem cauſſa, omnino neceſſe foret Romanis has veſtras injurias ferre. Sed ne impoſterum quidquam injuſte contra nos moliamini, aut coacti à veſtræ civitatis præfectis aut decepti, ſola hac ratione & cavere & proſpicere nobis licet: Si nimirum omnes in unam civitatem redacti, unicam eam & eandem Patriam ducamus, in qua unuſquiſque tam proſperæ quam adverſæ fortunæ portionem ferat, quæ ipſi obtigerit. Donec enim diſcordes erimus ut nunc, & utrique per contentionem alteris ſuperiores eſſe conabimur, non aletur firma inter nos amicitia: Præſertim ſi qui priores aliis inſidiati fuerint, vel re feliciter geſta meliore conditione ſint futuri, vel ſpe ſua fruſtrati, nihil damni ob ipſam cognationem ſint perpeſſuri, aut ſi illi, quos adoriri decreverint, in eorum poteſtatem redacti extrema quæque mala ſint laturi, aut (id quod in præſentia accidit)*

dit) si evaserint, omnes injurias ab illis acceptas oblivioni sint tradituri, nec eos ut hostes sint tractaturi. Sciatis igitur, hæc à Romanis superiore nocte esse decreta, Senatu à me coacto, & Senatus-Consulto à me perscripto, ut evertatur urbs vestra, nec ullum aut publicum aut privatum ædificium, exceptis fanis, erectum relinquatur : omnes vero, qui eam incolunt, salvis suis fortunis quas jam habent, nullis mancipiis, nullo pecore, nullis pecuniis privati, Romæ imposterum degant. Utque totus noster ager publicus Albanis, qui nullam agri portionem possidet, dividatur, exceptis sacris possessionibus, è quibus diis sacrificia fiunt, & ego provideam, in quibus civitatis locis ædificare domos oporteat, ubi vos qui migratis vitam degere queatis: & eos, qui de vobis maxime sunt egeni sumptibus ad opus peragendum juvem. Et vestra multitudo cum nostro populo in tribus & curias distributa, pecuniam contribuat. Atq; hæ familiæ ad senatum, & magistratus gerendos, admittãtur Julia, Servilia, Gebania, Metilia, Curiatia, Quintilia, Cloelia. Sed Metius & ejus proditionis socii pœnas luant, quas nos judices in singulos reos sedentes in tribunali nostro statuemus. Nullum enim fraudabimus aut judicio, aut caussæ dictione. Livius in repreſentãdo concionante Tullo, nõ diſſidet ab Halicarnaſſeo: *Quod bonũ, faustum, felixq; sit Populo Romano, ac mihi, vobisq; Albani, populum omnem Albanum Romam traducere in animo est: Civitatem dare Plebi, primores in Patres legere : unam urbem, unam Remp. facere : ut ex uno quondam in duos populos divisa Albana res est, sic nunc in unum redeat.* Dictis ac decretis ilico facta injunxit. In Suffetium atrociter animadvertit, ut is horribili ſupplicio doceret humanũ genus, ea ſancta credere, quæ ab ipſo violata nequiter eſſent. Sicuti paullo ante animũ inter Fidenatẽ Romanamq; rem ancipi-

tem gesserat, ita jam corpus ejus pernicibus equis destrahendum dedit. Orosius: *Metius Suffetius, curribus in diversa raptantibus, duplicis animi noxam pœna divisi corporis expendit.* Inter hæc jam præmissi Albam erant equites, qui multitudinem traducerent Romam: legiones deinde ductæ ad diruendam urbem, quæ ubi intravere portas, non quidem fuit tumultus ille, nec pavor, qualis captarum esse urbium solet, cum effractis portis, stratisve machina muris, aut arce vi capta, clamor hostilis, & cursus per urbem armatorum, omnia ferro flammaque miscet: sed silentium triste, ac tacita mœstitia ita defixit omnium animos, ut præ metu obliti quid relinquerent, quid secum ferrent, deficiente consilio, rogitantesque alii alios, nunc in liminibus starent, nunc errabundi domos suas, ultimum illas visuri, pervagarentur. Ut vero jam equitum clamor exire jubentium instabat, jamque fragor tectorum, quæ diruebantur, extremis urbis partibus, audiebatur, pulvisque ex distantibus locis ortus velut inducta nube cuncta compleverat: raptim quibus quisque poterat elatis, Larem ac Penates tectaque, in quibus natus quisque, educatusque fuerat, relinquentes exibant. Tum continens agmen migrantium implebat vias, & conspectus aliorum mutua miseratione lacrymas integrabat: vocesque etiam miserabiles exaudiebantur, mulierum præcipue, cum obsessa ab armatis templa augusta præterirent, ac veluti captos relinquerent deos. Egressis urbe Albanis, Romani passim publica privataque omnia tecta solo æquavere, ac perbrevi tempore

quin-

quingentorum annorum opus excidio ruinisque dedere: templis tamen deûm (ita enim edictum ab Rege fuerat) est temperatum. In urbem Romam recepti, fidem eorum omnium, quæ Rex in castris concionabundus promiserat, impleri liberaliter & abunde, comperere. Exinde, sensim eos Romani moris admiratio subiit, ita ut prisca etiam sacra ac cærimonias exolescere paterentur. Adhuc rerum potiunte Tullo narrat accidisse Livius, ut viderentur sibi quidam audire vocem ingentem è summi cacuminis luco, ritu patrio sacra Albanos facere jubentem, *quæ, velut diis quoque simul cum Patria relictis, oblivioni dederant, & aut Romana sacra susceperant, aut fortunæ, ut fit, obirati cultum reliquerant deûm*. Retracta sunt igitur ab interitu fugitiva sacra, quæ sera deinceps abolere secula nequivere. Finiat hanc dissertationem Proconsul Africæ Censorinus. Quum Carthaginenses acerbe ferrent immitia mandata Senatus, urbem exscindere, & è longinquo mare prospicientia fundare mœnia jubentis, Censorinus, ad emitigandum dolorem, exemplum advocavit Albanorum: *In memoriam revocetis, Albam etiam, veterem nostram Patriam, non ab infensis nobis, sed tanquam à colonis officiosis, dirutam, & incolas ob communem utilitatem in nostram urbem esse translatos: atque id auspicato factum utrique populo bene cessisse.* Quod in Punicis Appianus Alexandrinus edidit.

CAPUT

Caput VI.

De duodecim Hetrusiæ Populis.

Quum Mœonia quondam agrorum sterilitate vexaretur, neque sufficeret alimentis incolarum, & ea demum caritas annonam flagellaret, ut omnino patria tellus exoneranda videretur: Lydorum Rex, superante multitudine, dimidiam populi partem, avitis excitam sedibus, ad novas investigandas ductandam Tyrrheno filio commisit. Qui navibus spes suas imponentes, pulsis Umbris armata juventute loca tenuere, quæ postmodum & Tusciæ & Hetruriæ nominibus innotuêre. Recentes advenæ duodenis urbibus incoluere terras ad utrumque mare, superum inferumque, vergentes. In quantum conjecturas nostras autorum monumenta fulciunt, urbium ista nomina fuere: Mantua, Targuinii, Vetulonia, Perusia, Corytus, Aretium, Cære, Veji, Volsinium, Clusium, Volaterræ. Initio sparsi ac segreges, ita communis originis obliviscebantur, ut non urbes modo duodenas implerent, sed & totidem differentia populorum, totidemque separatarum dividerentur administratione rerumpublicarum. Strabo, in quinto Geographiæ: *Initio quidem unius parentes imperio, magna erant potentiâ. Postmodum apparet dissolutum fuisse id corpus, ac Hetruscos divulsas singulas urbes tenuisse: nam absque eo fuisset, non puto, regione felici relicta, latrociniis maritimis animum adjecissent, alii ad alia conversi maria. Quippe, si conspirassent, satis ipsis virium fuisset non ad profliganda duntaxat, sed*

etiam

etiam ad inferenda ultro bella, longinquaſque ſuſcipiendas expeditiones. Crebris igitur experimentis diſſipatarum incommoda virium edocti, reconcinnandam unius compagem corporis, & è Duodecim Populis unam denuo conflandam remp. cenſuere. Singulis ex urbibus excerpti ſinguli Lucumones (hac enim Hetruſca noſcitabantur appellitatione) obvia quæque negotiorum expediebant, annui temporis orbe poteſtatem circumſcribente. Majus auguſtiuſque procerum concilium ad *Voltumnæ fanum* indicebatur. Livius lib. IV. *Legatis circa Duodecim populos miſſis impetraverunt, ut ad Voltumnæ fanum indiceretur omnis Hetruriæ concilium.* Lib. VI. *Hetruriæ Principum ex omnibus populis conjurationem de bello ad fanum Voltumnæ factam, mercatores afferebant.* Perpetuum averſati regnum, temporarium non æque reformidavere. Pacatis reip. temporibus unumquemque Lucumonem lictor unus, cum faſce ſecurim geſtans, anteibat: at, quotiens auſpiciis Duodecim populorum arma quaterentur, mos publicus ac tempora reip. poſtulabant, ut unum aliquem ac ſolum Lucumonem, ad quem ſumma delata rerum fuerat, duodecim faſces atque ſecures anteirent. Hujus vero corporis, ut fit, ſubinde membrum aliquod intemperies agitavit. Bello ſemet implicuerant, inconſulto Concilio, Vejentes. Improſpere cedente temeritate, quo, niſi ad Voltumnam, confugerent? Cum undecim populorum concilium frequenter haberetur, *parum conſtitit, bellone gentis univerſæ tuendi Vejentes eſſent.* Mox Capenatibus etiam, ac Faliſcis, efflagitantibus, ut Vejos

D com-

communi animo consilioque omnes Hetruriæ populi ex obsidione eriperent, responsum est: antea se id Vejentibus negasse: *Quia unde consilium non petissent super tanta re, auxilium petere non deberent: nunc jam pro se fortunam suam illis negare.* Media tamen est reperta via. Sanguini nominique, & præsentaneæ necessitati id dederunt, ut, si qui juventutis suæ voluntarii ad id bellum irent, haudquaquam sese pollicerentur impedituros. Opes Hetrusci sive Tusci corporis, haud sane magni, propter unionem terra marique late patuere. Mari utroque, quo tanquam peninsula cingitur Italia, quantum polluerint, nomina sunt argumento, quod alterum Tuscum communi vocabulo gentis, alterum Hadriaticum, ab Hadria Tuscorum colonia, gentes Italicæ cognominavere. Græci eadem maria Tyrrhenum ac Hadriaticum vocavere. Coloniæ pollentem terra potentiam ostendere: quas sub ipsa conjunctionis instauratæ primordia profundendas decrevere. Ne vero pabulum præberetur æmulationi, totidem, quot erant originis capita, profudere: quæ trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui sinum circumcolebant maris, usque ad Alpes insedere. Decentiæ quoque publicæ magnifici cultores extitere. Cæsar Julius apud Sallustium: *Majores nostri insignia magistratuum à Tuscis pleraque sumserunt.* Florus: *A Duodecim Tusciæ populis fasces, trabeæ, curules, anuli, phaleræ, paludamenta, prætexta: inde quod aureo curru quatuor equis triumphator: togæ pictæ, tunicæque palmatæ: omnia denique decora, & insignia, quibus imperii dignitas eminet.* Potentiam atque splen-

ſplendorem regiminis admirati Samnites, dubiis ſuis rebus, aut prope conclamatis, Hetruriam precibus oppugnavere: ac tradente Livio lib. x. quod legationibus nequicquam ſæpe tentaverant, id ſe denſo agmine præſentes acturos efficacius rati, rogavere Principum Hetruriæ concilium ſibi dari, datoque, publice ſunt profeſſi: *unam ſibi ſpem reliquam in Hetruſcis reſtare: ſcire gentem Italiæ opulentiſsimam armis, viris, pecunia eſſe.* Deinceps alii tres populi Duodecim coalitorum populorum auxiſſe numerum videntur. Sic enim legitur in fragmento lapidis Volſinienſis: PRÆT. ETRUR. XV. POPULORUM.

CAPUT VII.

De Populorum Latinorum Coalitione.

PLinius Hiſtoriæ Mundi libro tertio quinquaginta tres antiqui Latii populos recenſet: hi ſcilicet erant Abolani, Accienſes, Æſolani, Albani, Albenſes, Ameriolani, Amiterni, Antemnates, Antipolitani, Ardeates, Boletani, Bubetani, Cæninenſes, Camerinii, Collatienſes, Coriolani, Corniculani, Cruſtumerini, Cuſetani, Ficanenſes, Fidenates, Foretii, Hortenſes, Lavinienſes, Longulani, Macrales, Manates, Medulliani, Munienſes, Mutucumenſes, Norbani, Numienſes, Octulani, Olliculani, Pedani, Pitulani, Politorienſes, Polluſtini, Pometiani, Querquetulani, Satricenſes, Scaptienſes, Sicani, Siſolenſes, Sulmonenſes, Tellenenſes, Tifatenſes, Tolerienſes, Tu-

tienſes, Velitienſes, Venetulani, Vicellenſes, Vimitellarii. Regem Romanorum Servium Tullium, quamvis ortum ſervis parentibus, exſtimulabat ingenita regibus lubido, magno ac memorabili facinore ſeculum ſuum illuſtrandi. Trita nimis ac frequens via videbatur, abuti miſerorum ſanguine civium, ac cædibus ad gloriam graſſari. Sed neque muros Babylonios, aut Pyramides Memphiticas, quæque alia Principum divitias & immenſam operarum multitudinem oſtentarent, admodum admiratione digna ducebat. Hæc oculorum vanas illecebras eſſe dictitabat, nullam vitæ civilis uſibus opem porrigentia: ſolidæ vero capacia laudis ea demum eſſe, quæ plurimam populis & præberent & pollicerentur utilitatem. Quare pulchrior excellentiorque fore videbatur, & inter ſe, & cum Populo Romano connexorum gloria Latinorum. Amphyctionis ingenium admirabatur: qui Græcæ gentis animadverſa ſegregatione, quæ confinium Barbarorum gladios acueret, eam in id concilium conventumque coegerat, qui ab ipſo Amphyctionicus appellabatur, ac præter leges, quæ cuique civitati propriæ & peculiares erant, alias tulerat omnibus communes, quarum auctoritas perpetua eos invicem amicitia devinciret, ita ut gentilem cognationem factis potius illuſtribus aſſerentes, quam verbis ampullantibus incaſſum deprædicantes, terrorem atque formidinem ſui Barbaris incurſantibus inferrent. Quæ florentem Servium videbat ætas, eadem inclytum atque florens Epheſinæ Dianæ templum videbat: id communi-

muniter à civitatibus Asiæ structum ac dedicatum fama ferebat. Eo statis temporibus conveniebant, & simul sacrificia faciebant, simul negotiabantur ac mercatus publicos exercebant, certamina equestria, gymnicā, musica certabant, diisque donaria juncta consecrabant. Peractis vero spectaculis & nundinis, aliisque festis, in quibus omnes omni humanitatis genere semet invicem excipiebant, si qua simultas inter civitates ob aliquam offensam enata fuisset, judices sedentes de ea cognoscebant: tum de belli contra Barbaros administratione, deque mutuæ firmamento concordiæ consultabant. Hunc consensum, ac sacra pariter & profana consociata, mire Servius extollebat inter proceres Latinorum, cum quibus publice privatimque hospitia amicitiasque de industria junxerat. Id aditum spei præparabat, & magni quasi præludium moliminis erat. Inde singularum civitatum optimates evocavit, magnisque de rebus, & præclare communia commoda promoturis, agitanda consilia denuntiavit. Qui ubi festim advolassent, & ipsis, & Patribus Conscriptis audientibus, ampla diffusaque demonstravit oratione, Latinæ gentis civitates in unum corpus contrahendas, & ita colligandas imposterum esse, ut domesticis dissidiis ac bellis eliminatis, ne tentandam quidem, nedum conculcandam exponerent accolæ Barbaro libertatem. Porro cohonestandæ velamentum coalitionis oppandebat *Patrocinio*, quod à Romanis suscipiendum dictitabat, urbis rerumque magnitudine præcellentibus. Quod singulari dignum

animadversione judicamus. Ex hac enim scaturigine cruenta postmodum bella prosiluere. Cavendum id etiam atque etiam sponte coalescentium rerump. Rectoribus: ne videlicet insignem aliquam inæqualitatem admittendo, inexplicabilium nodos controversiarum, & è controversiis nascentia bella, posteritati tanquam hæreditaria transmittant. Cujus effati fides in progressu dissertationum nostrarum, & ex ipsorum cumprimis exemplo Latinorum, liquidissime patebit. Denique, sæpius eadem iterando, non ad hoc modo *Patrocinium* admittendum perpulit hæsitantes, verum etiam pervicit, ut Romæ potissimum, ad exemplum Asiaticæ Dianæ, fanum Dianæ populi Latini cum Populo Romano dedicarent. Id igitur in Aventino colle communibus impensis exstruxere. Varro: *Aventinum dicunt ab adventu hominum, quod commune Latinorum ibi Dianæ templum sit constitutum.* In hoc templo quotannis publica sacra nationes coalitæ peragebant: ibi civitates, si quæ dissiderent, controversias suas universarum arbitrio religiose decidendas offerebant. Leges autem cunctas coalitionis æneæ columnæ Servius incidit, quæ & nomina quinquaginta trium populorum exhibebat: hæc cum temporis edacitate diu colluctata, Cæsaris Augusti seculum attigit: sicuti testantur ejus seculi scriptores.

CAPUT VIII.
De Renovata Populorum Latinorum Coalitione.

ITa cunctorum animos affecerat inusitata providentia Servii Regis, ut ipse ille, qui immissis in eum percussoribus rapere regnum quam exspectare maluerat, ipse, inquam, Tarquinius Superbus tuendum & expoliendum sibi trucidati machinamentum putaret. Namque succrescentibus Latinorum offensionibus, & in bellum odio turgescente, veluti sub jugum missa nocendi sæviendique cupiditate, professus est, se utilitatis omnium caussa id agendum censere, uti populorum conjunctio renovaretur, secundaque potius fortuna Populi Romani tanquam participes Latini fruerentur, quàm ut urbium excidia & agrorum vastationes, quas ante Servium perpessi fuerant, aut paterentur, aut exspectarent. Haud difficulter id persuasum Latinis. Et Hernici quoque, missa legatione, prolectabantur ad ejusdem spei communionem amplectendam. Tarquinius, ne soli viderentur omnia Romæ dari, locum designavit in excelso monte, qui Albanæ urbi imminebat, fere in meditullio harum nationum, ubi concilium essent habituri. Hîc aliud omnibus commune templum erexit, in quo, consociatis Quiritium, Latinorum, Hernicorumque votis, *Jovi Latiali* sacra fierent: hîc annuos agitari mercatus, & omnes ab omni mutuâ vi manus abstinere, lex lata jussit. Sed & hîc epulandum communiter

erat:

erat: poſtquam populi ſacrorum participes pecudes ac cibos, præfixa cuique menſura, congeſſiſſent. Taurum communiter unum omnes immolabant, unaquaque civitate portionem accipiente. Colligere vero licet ex Halicarnaſſeo, *Concilio, Sacriſque, præſediſſe Romanos.* Aliud inſuper commune fanum obſervavimus apud Strabonem, in quinto Geographiæ, oppidi Lavinii libata mentione, *quod*, inquit, *habet omnibus Latinis commune fanum Veneris: ejus adminiſtratio à majoribus eſt ad Ardeates propagata.* Sed hoc ſoli, nî fallimur, indicatum Straboni prætereuntes, paullisper à Tarquinio repertis ſolennibus immoremur. *Latinas Ferias* ea ſolennia vocavere: quas præcipuo ſemper honore dignata poſteritas fuit. Conſulibus, autore Dione Caſſio, non licebat in Provincias exire paludatis, antequam Latinas indixiſſent, atque iis in monte Albano cum Latinarum civitatum Magiſtratibus operam dediſſent. Propterea Cajus Flaminius, quod ſecundo bello Punico, Conſul Latinas haud indixiſſet, neque ſacrum in Albano feciſſet, ſed lixæ modo, ſine more, ſine auſpiciis ad exercitum profectus eſſet, inſolentia rei perculſos Patrum animos vehementer exaſperavit. Revocandum univerſi retrahendumque cenſuerunt: & cogendum omnibus prius præſentem in deos homineſque fungi officiis, quam ad exercitum & in Provinciam iret. Mandata Senatus, ac Latinarum cærimonias, adſpernantis diram temeritatem funeſta mox clade caſtigatam credidere. Quin & Tribunis plebis extra mœnia pernoctare, quod reliquo nunquam

quam fas erat anno, ſola Feriis iſtis dicata tempora permittebant. Quod ſi in ejus ſacri viſceratione non omnes Latini carnem accepiſſent, ſi cæterorum rituum neglectum aliquid intermiſſumque conſtaret, tanquam non rite peractum foret, inſtaurari denuo ſacrum oportebat. Occupatis in Albano Magiſtratibus, qui per eos dies Urbi præeſſet, Præfectus Latinarum Feriarum creabatur. Hanc nondum extinctam videre ſera ſecula Præfecturam. Neque Cæſaris Claudii generi, Silanus atque Pompejus, neque adoptatus ab eo Nero, eam gerere ſunt dedignati. Quin & poſt Claudium iſta Pomponius Juris-Conſultus exaravit, Dig. de origine juris, §. Neceſſarium: *Et hæc omnia, quotiens in rep. ſunt Magiſtratus, obſervantur: quotiens autem proficiſcuntur, unus relinquitur, qui jus dicat: is vocatur Præfectus Urbi: Latinarum Feriarum cauſſa introductus eſt, & quotannis obſervatur.* Et Marcum etiam Antonium, antequam Imperio admoveretur, eidem admotum honori fuiſſe, teſtatur in ejus Vita Julius Capitolinus. Cæterum Tarquinius, hunc in modum renovata coalitione, Latinorum junioribus edixit, ut ex fœdere, die præſtituta, ad lucum Ferentinæ armati frequentes adeſſent. Qui ubi ad edictum ex omnibus populis confluxere: *Ne Secretum Imperium, neve propria ſigna haberent, miſcuit manipulos ex Latinis Romaniſque, ut ex binis ſingulos faceret, binoſque ex ſingulis: ita geminatis manipulis, Centuriones impoſuit.* Quomodo deinde moribus, & inſtitutis ante omnia militaribus, utrique congruerint, inſigniter illa Liviana docent, ex octavo deri-

vata libro: *Curam acuebat, quod adverſus Latinos bellandum erat, lingua, moribus, armorum genere, inſtitutis ante omnia militaribus congruentes: milites militibus, centurionibus centuriones, tribuni tribunis compares collegæque: iiſdem præſidiis, ſæpe iiſdem manipulis permiſti fuerant.* Et mox: *Fuit civili maxime bello pugna ſimilis: adeo nihil apud Latinos diſſonum ab Romana rep. præter animos, erat.*

Caput IX.

Quomodo Latini contenderint, alterum Conſulem Roma, alterum è Latio creare oportere.

QUum lapſu temporum abuterentur prærogativa Romani, ac *Patronos* eos imperioſos, *Præſideſque* propemodum violentos experirentur indies Latini, tandem anno Urbis Conditæ CCCCXII. annis à cœpta coalitione circiter CC. ad altiora fatigatam patientiam erexere. Per ſpeciem adverſus Samnites belli parandi, crebra concilia indicentes, omnibus conſultationibus inter ſe Principes occulte Romanum coquebant bellum. Sed quanquam omnia cum cura celabantur, priuſque quam moverentur Romani, tolli ab tergo Samnitem hoſtem volebant, tamen per quoſdam privatis hoſpitiis neceſſitudinibuſque conjunctos, Romam ejus indicia conjurationis emanavere. Romani, etſi defectio ſociorum nominiſque Latini haud dubia erat, tamen, tanquam de Samnitibus, non de ſe curam agerent, decem Principes Latinorum

evo-

evocavere, quibus imperarent quæ vellent. Prætores tum Latini duos habebant, L. Annium Setinum, & L. Numidium Circeiensem: eos evocari nominatim placuit. Haud cuiquam dubium erat, super qua re accirentur. Itaque concilio prius habito Prætores quam Romam proficiscerentur, evocatos se ab Senatu docent Romano, & quæ actum iri secum credant, referunt, quidnam ad ea responderi placeat, exquirunt. Cum aliud alii censerent, tum Annius, edente Livio: *Quanquam ipse ego retuli quid responderi placeret, tamen magis ad summam rerum nostrarum pertinere arbitror, quid agendum nobis, quam quid loquendum sit. Facile erit, explicatis consiliis, accommodare rebus verba. Nam si etiam nunc sub umbra fœderis æqui servitutem pati possumus, quid abest, quin proditis Sidicinis, non Romanorum solum, sed Samnitium quoque dicto pareamus, respondeamusque Romanis, nos, ubi innuerint, posituros arma? Sin autem tandem libertatis desiderium remordet animos: si fœdus est: si societas æquatio juris est: si consanguineos nos Romanorum esse, quod olim pudebat, nunc gloriari licet: Si socialis illis exercitus is est, quo adjuncto duplicent vires suas, quem secernere ab se Coss. bellis propriis ponendis sumendisque nolint, cur non omnia æquantur? Cur non alter ab Latinis Consul datur? Ubi pars Virium, ibi & Imperii pars est. Est quidem nobis hoc per se, haud nimis amplum, quippe concedentibus Romam caput Latio esse: sed ut amplum videri posset, diuturna patientia fecimus. Atqui si quando unquam consociandi Imperii, & usurpandæ libertatis tempus optastis: en hoc tempus adest, & virtute vestra, & Deûm benignitate vobis datum. Tentastis patientiam negando militem.*

Quis dubitat exarſiſſe eos, cum plus ducentorum annorum morem ſolveremus? Pertulerunt tamen hunc dolorem. Bellum noſtro nomine cum Pelignis geſſimus, qui ne noſtrorum quidem finium per nos tuendorum jus antea dabant, nihil interceſſerunt. Sidicinos in fidem receptos, Campanos ab ſe ad nos deſciſſe, exercitus nos parare adverſus Samnites, fœderatos ſuos, audierunt: nec moverunt ſe ab Urbe. Unde hæc illis tanta modeſtia, niſi à conſcientia virium & noſtrarum, & ſuarum? Idoneos autores habeo, querentibus de nobis Samnitibus ita reſponſum ab Senatu Romano eſſe, ut facile appareret, ne ipſos quidem jam poſtulare, ut Latium ſub Romano imperio ſit. Uſurpate modo poſtulando eo, quod illi vobis taciti concedunt. Si quem hoc dicere metus prohibet, en ego ipſe audiente non Populo Romano modò Senatuque, ſed Jove ipſo qui Capitolium incolit, profiteor me dicturum, ut, ſi nos in fœdere ac ſocietate eſſe velint, Conſulem alterum ab nobis, Senatuſque partem accipiant. Hæc ferociter non ſuadenti ſolum, ſed pollicenti, aſſentientes & acclamantes omnes permiſerunt, ut ageret diceretque, quæ è rep. nominis Latini, fideque ſua, viderentur. Ubi eſt Romam ventum, Senatus eis in Capitolio datus eſt. Ibi cum T. Manlius Conſul egiſſet cum eis ex auctoritate Patrum, ne Samnitibus fœderatis bellum inferrent, Annius, tanquam victor armis Capitolium cepiſſet, non legatus jure gentium tutus loqueretur: *Tempus erat*, inquit, *T. Manli, voſque Patres Conſcripti, tandem jam vos nobiſcum nihil pro imperio agere, cum florentiſſimum Deûm benignitate nunc Latium armis viriſque, Samnitibus bello victis, Sidicinis Campaniſque ſociis, nunc etiam Volſcis adjunctis, videritis: colonias quoque veſtras Latinum*

Roma-

Romano prætulisse imperium. Sed quoniam vos regno impotenti finem ut imponatis, non inducitis in animum: nos, quanquam armis possumus asserere Latium in libertatem, consanguinitati tamen hoc dabimus, ut conditionis Pacis feramus æquas utriusque, quoniam vires quoque æquari diis immortalibus placuit. Consulem alterum Roma, alterum ex Latio creari oportet, Senatus partem æquam ex utraque gente esse: unum Populum, unam Remp. fieri. Et ut Imperii eadem sedes sit, idemque omnibus nomen. Quoniam ab alterutra parte concedi necesse est, quod utrisque bene vertat, sit hæc sane patria potior, & Romani omnes vocemur. Forte ita accidit, ut parem Annii ferociæ & Romani Consulem T. Manlium haberent. Is, sicut erat ingenio prædūro, morisque patrii tenacissimo, adeo non frænavit iracundiam, ut, si tanta dementia Patres Conscriptos cepisset, ut ab homine Latino leges acciperent, gladio cinctum in Senatum venturum se esse palam diceret, ac sua manu, quemcunque in curia Latinum offendisset, Jovi Capitolino victimam facturum. Et conversus ad simulacrum Jovis. *Audi Jupiter hæc scelera*, inquit, *audite Jus Fasque! Peregrinos Consules, & Peregrinum Senatum in tuo, Jupiter, augurato templo, captus, atque ipse oppressus visurus es?* Indignabundi vox Consulis, excepta populi plausu ferocientis, tanto omnium animos inflammavit ardore, ut legatos proficiscentes cura Magistratuum magis, qui jussu Consulum prosequebantur, quam jus gentium ab ira impetuque Quiritium tegeret. Consensit & Senatus bellum.

 CAPUT

Caput X.

Campanis quoque nonnullos comparem adſcripſiſſe poſtulationem.

FLorentiſſima quondam urbium Italicarum, æmulatrix Romæ, Capua fuit. Tullius Arpinas,in orationum altera, quas de Lege Agraria contra Rullum Trib. pl. Conſul habuit, ita ſtatuiſſe majores ait, tres ſolum urbes in terris omnibus, Carthaginem, Corinthum, Capuam, posſe imperii nomen, ac majeſtatem, ſuſtinere. Anno ab Urbe condita I Ↄ X X X V I. Cannenſi clade Quiritium rebus afflictiſſimis, faſtidiebat Romana Campanus, & ad Pœni potentiam victoris inclinabat. Id modo repagulum inclinantium erat, quod connubium vetuſtum multas familias, claras ac potentes, Romanis miſcuerat. Harum Principes ægre pervicerunt,ut Legati ad ſuperſtitem cladi Imperatorem mitterentur. Quos ad obliganda reip. vulnera prolixe cohortatus Imperator, hæc imprimis inſerenda duxit orationi: *Adjicite, quod fœdus æquum dedimus, quod leges noſtras, quod ad extremum, id quod ante Cannenſem certe cladem maximum fuit, civitatem noſtram magnæ parti veſtrûm dedimus, communicavimuſque vobiſcum. Itaque communem vos hanc cladem, quæ accepta eſt, credere, Campani oportet, communem patriam tuendam arbitrari eſſe. Pulchrum erit, prolapſum clade Rom. imperium veſtra fide, veſtris viribus, retentum ac recuperatum eſſe. Triginta millia peditum, quatuor equitum, arbitror ex Campania ſcribi poſſe: jam pecuniæ affatim eſt frumentique. Qui ſi*

parem

parem fortunæ vestræ fidem habetis, nec Annibal se vicisse sentiet, nec Romani se victos esse. Dimissis hac Imperatoris oratione, domumque repetentibus legatis, unus ex iis, Vibius Virrius, emersisse tempus ait, quo Campani non agrum solum ab Romanis quondam per injuriam ademptum recuperare, sed imperio etiam Italiæ potiri possint. Fœdus enim cum Annibale quibus velint legibus facturos: neque controversiam fore, quin ipse confecto bello Annibal victor in Africam hinc decederet, exercitumque deportaret, Italico Campanis imperio relicto. Hæc ejaculanti dicta Virrio assensi omnes, ita renunciant legationem, uti deletum omnibus videretur nomen Romanum. Extemplo plebes ad defectionem, ac pars maxima Senatus, spectare: extracta tamen per paucos dies est res auctoritate seniorum: postremo vicit sententia plurium, ut iidem legati, qui ad Imperatorem Romanum iverant, ad Pœnum quoque mitterentur. Quo priusquam iretur, fixumque consilium defectionis esset, Romam legatos missos à Campanis, in quibusdam Annalibus antiquitus inveniebatur, *postulantes, ut alter Consul Campanus fieret, si rem Romanam adjuvari vellent*: indignatione orta, summoveri à curia jussos esse, missumque lictorem, qui ex Urbe educeret eos, atque eo die facessere extra fines Romanos juberet. Dubitationi tamen obnoxium hæc postulatio Livium habet. Libro XXIII. *Quia nimis compar Latinorum quondam postulationi erat. Cœliusque & alii id haud sine caussa prætermiserant scriptores, ponere pro certo sum veritus.* At Poëtæ,

quibus

quibus audendi & affirmandi quidlibet æqua ſemper poteſtas fuit, id pro certo ponere minime verentur. Burdigalenſis Auſonius in Ordine nobilium urbium:

Nec Capuam pelago, cultuque penuque potentem,
Deliciis, opibus, famamque priore, ſilebo:
Fortuna variante vices, quæ freta ſecundis,
Neſcivit ſervare modum, nunc ſubdita Romæ,
Æmula tunc. Fidei memor, anne infida, Senatum
Sperneret, an coleret, dubitans, ſperare Curules
Campanis auſa auſpiciis, unoque ſuorum
Conſule: ut imperium diviſi attolleret orbis.
Quin etiam rerum dominam, Latiique parentem,
Appetiit bello, ducibus non freta togatis,
Annibalis jurata armis, deceptaque in hoſtis
Servitium demens ſpecie tranſivit herili:
Mox ut in occaſum vitiis communibus acti
Corruerunt Pœni, luxu Campania feſſo.
Heu nunquam ſtabilem ſortita ſuperbia ſedem!
Illa potens, opibuſque valens, Roma altera quondam,
Comere quæ paribus potuit faſtigia conis,
Octavum rejecta locum vix pone tuetur.

Silius Italicus indignationem publicam luculentius atque magnificentius expreſſit in Undecimo de Secundo bello Punico:

Hortatur ſummi partem depoſcere juris,
Atque alternatos ſociato Conſule faſces;
Et ſi partita renuant ſediſſe Curuli,
Æquatumque decus, geminaſque videre ſecures,
Ultorem ante oculos atque ora aſtare repulſæ.
Ergo electa manus greſſu fert dicta citato.
Antiſtat cunctis præcellens Virrius ore,
Sed genus obſcurum, nullique furore ſecundus.
Qui poſtquam cœtu Patrum, ingentique Senatu,
Impia dementis vulgi & vix tota profudit

Con-

Consulta, & tumidis incendit vocibus aures,
Concordi fremitu renuentum effunditur asper
Toto è concilio clamor: tum quisque fatigat
Increpitans, vocumque tremit certamine templum.
Hìc Torquatus avum fronte æquavisse severa
Nobilis, heu Capua portantes talia dicta
Romuleis durastis, ait, succedere muris,
Ad quos non ausi Carthago atque Annibal arma
Post Cannas afferre suas? nunquamne per aures
It vestras, in Tarpeia cum rupe Latini
Orarent paria, haud verbis, haud voce, sed acri
Propulsum dextra, qui tum mandata superbo
Ore asportabat, tanto per limina templi
Turbine præcipitem revoluti corporis actum,
Ut sævo afflictus saxo, spectante piaret
Tristia dicta Jove, & lueret verba impia letho?
En ego, progenies ejus qui sede Tonantis
Expulit orantem, & nuda Capitolia Consul
Defendit dextra. Rapidum hunc, palmasque virorum
Intentantem oculis, proavitaque facta parantem,
Ut vidit majore adeo crudescere motu,
Excipit his frendens Fabius: proh cuncta pudendi
Sedes ecce vacat belli viduata procella!
Quem, quæso, è vobis huic imposuisse paratis,
Inque locum Paulli quemnam datis? an tua, Virri,
Prima atque ante alios sors concedente Senatu
Te citat, ac nostris æquat jam purpura Brutis?
I demens, i quo tendis, tibi perfida fasces
Det Carthago suos. Medio fervore loquentis
Impatiens ultra gemitu cohibere furorem,
Fulminea torvum exclamat Marcellus ab ira:
Quæ tandem & quam lenta tenet patientia mentem,
O confuse nimis Gradivi turbine Varro,
Vt perferre queas furibunda insomnia Consul?
Nonne exturbatos jamdudum limine templi
Præcipites agis ad portas, & discere cogis
Semiviros, quod sit nostro de more creati
Consulis Imperium? non unquam sobria pubes

Et peritura brevi, moneo, ocius urbe facesse:
Muros ante tuos (ut par est) debita ductor
Armatus responsa dabit. Consurgere cuncti
Hinc pariter, magnoque viros clamore premebant.
Nec non & foribus propere Campana juventus
Extulit acta gradum: tantæque dolore repulsæ
Concitus Annibalem volvebat Virrius ore.

Faventem, ac aditum affirmationi suæ præstruentem Oratorem Tullium reperere Poëtæ, qui in eadem, quam libavimus, oratione, *Campani*, inquit, *semper superbi bonitate agrorum, & fructuum magnitudine, urbis salubritate, descriptione, pulchritudine. Ex hac copia, atque omnium rerum affluentia, illa nata est arrogantia, qua à majoribus nostris alterum Capua Consulem postulavit.*

Caput XI.

De Jure Civitatis communicato.

Legatus Privernatium interrogatus in Curia, quam pœnam Privernates mererentur, constanti vultu regerebat, quam mererentur, qui cum se dignos libertate judicarent, armis eam asserendam suscepissent. Animoso dicto regressum offerente Consule Plautio, ac quærente, qualem cum ipsis pacem habituri Romani essent impunitate donata, nihil immutato vultu perrexit: Si bonam dedissent, & fidam & perpetuam; si malam, haud sane diuturnam habituros. *Hac voce perfectum est*, inquit Valerius Maximus, *ut victis non solum venia, sed etiam jus & beneficium nostræ civitatis daretur.* Ac frementibus è Senatu nonnullis, disse-

disseruit Plautius, credi non posse, ullum populum aut hominem denique in ea conditione, cujus eum pœniteat, diutius quam necesse sit mansurum: ibi pacem esse fidam, ubi voluntarii pacati sint: neque eo loco, ubi servitutem esse vellent, fidem atque benevolentiam sperarent: eos demum qui nihil præterquam de libertate cogitassent, dignos esse qui Romani fierent. Disseruit item Consul Tullius in ea, qua Cornelium Balbum defendit, illud sine dubitatione maxime Romanum fundasse imperium, & nomen auxisse, quod Princeps ille creator Urbis docuisset, etiam hostibus recipiendis augeri civitatem oportere: ejusque auctoritate & exemplo vix unquam à majoribus intermissam esse largitionem atque communicationem civitatis. Unde Aurelius Victor sibi quidem audienti multa legentique plane compertum ait, *Urbem Romam externorum virtute, atque insitivis artibus, præcipue crevisse.* Curtii illud est lib. VII. *Quos viceris, amicos tibi esse cave credas: inter dominum & servum nulla amicitia est.* Taciti illud Histor. II. *Victores victosque nunquam solida fide coalescere.* Nobile discrimen illud, Victos inter ac Domitos, doctore temporum ac rerum usu, perpulchre veteres illi callebant. Vincere sciebant, sed uti fruique victoria nesciebant, nisi beneficio pectora domarentur. Id nî fieret, vincendo populos, non tam vincere, quam bella ex bellis serere videbantur. Tumidæ gentium inflatæque cervices ab imponendo jugo resiliebant. Bella cum Samnitibus per annos LXX. cum Volscis per annos plusquam CC. quanquam multa cum

victoria, plurimoque cum triumpho gesta, quid nisi perpetuo renascentium certaminum hydra?. Cum itaque, debellatis subinde populis, prudentia & ira sententias invicem variassent, præpollente mitiore consilio, flectenda potius ingenia debellatorum, quam frangenda, credidere. Expugnandæ voluntates erant, & sub jugum benevolentiæ mittendi mortalium affectus. Propaganda civitas erat, & quidquid debellatum foret, oppidatim ac regionatim in communionem juris adsciscendum. Id expedire paci Romanæ videbatur: ita transigi cum expeditionibus, & tot annorum prœliis magnum imponi posse diem. Senecæ videlicet illud egregium est in Hercule Furente:

Si æterna semper odia mortales agant,
Nec cœptus unquam cedat ex animis furor,
Sed arma felix teneat, infelix paret,
Nihil relinquent bella.

Enimvero ne spes amicitiæ, victos inter ac victores, ineundæ, corrumperetur, extitere tempora, quibus interesse modestiæ suæ Romanus existimavit, adspernari decus atque magnificentiam Trophæorum, neque mansuris victoriarum monumentis irritare pudorem ac patientiam devictorum. Florus lib. III. novitatis insimulat Domitium Ænobarbum & Fabium Maximum, quod, prœlio fusis Allobrogibus & Avernis, ipsis quibus dimicaverant in locis, saxeas exstruxissent turres, ac desuper armis hostilibus exornata Trophæa fixissent: *Quum hic mos*, inquit, *inusitatus fuerit nostris: nunquam enim Populus Romanus hostibus victoriam*

riam ſuam exprobravit. Sed neque Græcorum humanitas exprobrandam cenſuit. Apud Diodorum Siculum lib. XIII. Nicolaus quiſpiam pro concione Syracuſanis oſtendit, univerſæ Græciæ progenitores reportata victoria non è ſaxis, ſed è vulgaribus lignis, erigenda Trophæa curaviſſe: & id quidem non alia mehercule de cauſſa, quam ut iis exiguo tempore duraturis, brevi quoque memoria calamitatum atque cladium illatarum exſpiraret. Hinc Plutarchum quoque juvat in Problematis Romanis quærere, cur inter ea quæ diis conſecrantur, imperante lege ſola ſpolia ſinantur tempore conſumi atque aboleri, neque ea reparare liceat aut inſtaurare? *An,* inquit, *quod cum tempus ſigna contentionum cum hoſtibus habitarum obſcuret, odioſum eſt & nimii diſcordiarum ſtudii, ea reficere atque innovare? Nam apud Græcos etiam parum laudis adepti ſunt, qui primi lapidea aut ærea Trophæa ſtatuerunt.* Nempe nihil contingere mortalibus poteſt aut nobilius ad gloriam, aut certius ad ſalutem, quam *in arce victoris animi Trophæum erigere glorioſum*, ut lib. XXI. loquitur Ammianus Marcellinus. At non arriſit, in communicanda civitate, facilitas & indulgentia Græco. Devinxit equidem Spartiatas, quos invenerat, cives æqualitatis mirifico nexu Lycurgus. Juſtino ſi credimus, fundos omnium æqualiter inter omnes diviſit, uti ne alium alio redderent imparia patrimonia potentiorem: nec quemquam cultius quam alterum progredi, nec opulentius epulari promiſit. At incredibiliter externa faſtidire juſſit: urbe ſummotis & expulſis peregrinis, ac ſuis

 pariter

pariter ad peregrinos interdicta profectione. Quin & monetam nullam, nisi coriaceam probavit, uti penitus alienigenarum conversationem atque commercia profligaret. Atque adeo duos ex omni mortalium numero solos, ad suam usque tempestatem, civitate donatos à Spartiatis, in Calliope testatur Herodotus. Hinc Dionysius Halicarnasseus, dum Romana cum Græcanicis instituta comparat, ullo modo laudandum aut excusandam negat illam consuetudinem Lacedæmoniorum, & Thebanorum, & Atheniensium, de se ob sapientiam magnifice sentientium: quod originis nobilitate prætumidi, & hinc insociabiles, nulli, nisi raro admodum, jura civitatis impertirentur. Non solum enim nihil commodi hunc illis fastum peperisse, verum etiam belli calamitatibus fractos ac debilitatos, emergere rursus aut eluctari vetuisse. Spartanos certe post acceptam ad Leuctra cladem, nunquam postea civitatem suam restituere pristino splendori potuisse, imo vero imperio penitus exsequias ivisse. Thebanos autem & Athenienses ob improsperum eventum unius ad Chæroneam prœlii, simul & Græciæ principatu & libertate patria excidisse. Ad Romanam remp. quanquam in Hispania & Italia bellis ingentibus implicita, & in Sicilia Sardiniaque recuperandis occupata, res præterea Græcas & Macedonicas adversas experiretur, ac summam rerum denuo Pœnus affectaret: quanquam uno eodemque tempore tot eam pericula circumvolitarent, non tamen aut vires aut animum submisisse casibus, sed exsurgentem ilico,

co, majorem ſibi quam antea potentiam quæſiviſſe, denſo ſemper cive, & hinc milite, ſuppetente.

CAPUT XII.
De Gradibus communicatæ Civitatis.

COmmunicavit igitur ſeſe Roma populis, ſed non ex æquo, neque totam ſeſe communicavit omnibus, quos in fidem, aut ſocietatem, acceperat. Prout meriti quique de rep. videbantur, ita vel illuſtriore, vel ignobiliore jure donabantur. Intranti Romana, juris ejuſcemodi communicati gradus, quos meritorum diſtinguebat inæqualitas, tres imprimis deprehendere licet. Unus erat ipſorum civium Romanorum, qui quidem Optimo jure cives appellabantur, alter Latinorum, tertius Italicorum. E quibus ut jus Latii civitas Romana, ſic Italicum Latinitas honore & commodis anteibat. Pulcherrimum S. P. Q. R. donum erat, optimo pleniſſimoque jure civem cenſeri Romanum: quo & in Campo ſuffragium ferre, & ad nulla non honorum eluctari poſſe faſtigia dabatur. Hos proximi, ſed non exiguo proximi intervallo, ſequebantur Latini, qui, quod in ſocietatem acciti receptique fuiſſent, varia Sociorum noſcitabantur appellatione. Nam & Socii, & Latini Socii, & Socii nominis Latini, & Socii nomenque Latinum, & Socii ab nomine Latino, & Socii ac Latinum, appellabantur. Hi ſunt illi Socii Latini, quos, ad expeditiones ac bella ſemet accingente Romano,

mano, exercitum auxiliarem misisse Polybius ait, peditum quidem numero pari legionibus, equitum vero duplici constantem. Ad cæteros Italiæ populos Italici juris honorem porrigebant, ita videlicet appellatum, quod positos extra Latium Italos, diversorum temporum bellis ac fœderibus pacatos, eo complecterentur: Legibus, Julia Pompejaque, latis, quas insequentium capitum dissertatiunculæ delibabunt, cum universa in civitatis æquum jus accepta, & comprehensa tribubus Italia fuisset, exteris quoque nationibus ac civitatibus hæc beneficia cœpta sunt indulgeri, ut aliis quidem optimo jure Romana civitas, aliis Latium, aliis jus Italicum, pro sua cujusque erga remp. fide, concederetur. Et hæc adeo liberalitas, ejuscemodi interpuncta discrimine, diu Cæsarum quoque dominationem illustravit. Neronem nationes Alpium maritimarum *in jus Latii transtulisse*, ac Vitellium *externis Latium dilargitum*, testatur Annal. xv. & Histor. III. Tacitus. Et Plinius Historiæ Mundi lib. III. Vespasianum, *jactatum procellis reip. Latii jus universæ Hispaniæ tribuisse.* Ulpiani sunt ista magnifica, præcelsis patriam laudibus extollentis, Dig. lib. I. Tit. de Censibus. *Sciendum est, esse quasdam colonias juris Italici: ut est in Syria Phœnice splendidissima Tyriorum colonia, unde mihi origo est, nobilis regionibus, serie seculorum antiquissima, armipotens, fœderis, quod cum Romanis percussit, tenacissima. Huic enim Divus Severus Imperator noster ob egregiam in rempublicam, imperiumque Romanum insignem fidem, jus Italicum dedit.* Ac eodem Titulo à Celso, Gajo, Paulo Jure-

re-Conſultis, longa ſeries urbium recenſetur, Europæarum, Aſiaticarum, Africanarum, quas Divorum Imperatorum indulgentia juris Italici fecerat. Ipſæ vero Coloniæ, quanquam ad eas ex hac ſcaturigine multa juris diſtinctio profluebat, plerumque tamen ita diſponebantur, ut omnia Matris effigiem urbis repræſentarent. Si condendum novum oppidum eſſet, Fora, Capitolium, Templa, Curiæ, pro Matris imagine, deſignabantur: ac tractandæ reip. Duumviri quaſi duo Conſules, Ædiles item, cæterique Magiſtratus, imponebantur.

CAPUT XIII.

De Bello Italico, quod exarſit ob graduum in communicanda Civitate diſtinctionem.

OB invidioſas ordinum prærogativas, dum exæquari arrogantia refugit, magnis quondam intra viſcera ſua tumultibus agitata Reſpublica fuit. Connubia, Conſulatum, Caveam intuere. De Patricii ſanguinis ac Plebeji mixtione rogationem Tribuni promulgaverant: ea contaminari ſanguinem ſuum Patres, confundique jura familiarum rebantur. Poſtquam vero mentio primum illata ſenſim à Tribunis, ut alterum è plebe Conſulem creari liceret, eo deinde proceſſit, ut itidem Tribunitia rogatione promulgaretur, eſſe Populo poteſtatem, ſeu de Plebe, ſeu de Patribus vellet, Conſules faciendi: id ſi fieret, non vulgari modo cum infimis, ſed prorſus extorqueri primori-

bus, & ad plebem transferri summa imperia disserebant. At vero Canulejus in ea Tribunitia concione, qua dissociabilia Patriciorum ingenia castigat, inter cætera sic superbiæ eorum insultat: *An esse ulla major aut insignior contumelia potest, quam partem civitatis, velut contaminatam, indignam connubio haberi? quid hoc est aliud, quam exilium intra eadem mœnia, quam relegationem pati? Quod privatorum consiliorum ubique semper fuit, ut in quam cuique fœminæ convenisset domum, nuberet, ex qua pactus esset vir domo, in matrimonium duceret: id vos sub legis superbissimæ vincula conjicitis, qua dirimatis societatem civilem, duasque ex una Civitate faciatis. Cur non sancitis, ne vicinus Patricio sit plebejus, ne eodem itinere eat, ne idem convivium ineat, ne in foro eodem consistat?* Iterum: *Utrum Populi Romani, an vestrum summum imperium est? Regibus exactis utrum vobis dominatio, an omnibus æqua libertas parta est?* Tandem: *Itaque ad bella ista, seu falsa seu vera sunt, Consules, parata vobis plebs est, si connubiis redditis, unam hanc Civitatem tandem facitis: si coalescere, si jungi miscerique vobis privatis necessitudinibus possunt: si spes, si aditus ad honores viris strenuis & fortibus datur: si in consortio, si in societate Reip. esse: si, quod æquæ libertatis est, invicem annuis Magistratibus parere atque imperare licet. Nemo dimicaturus est pro superbis dominis, cum quibus nec in re publica honorum, nec in privata connubia societas est.* Utrumque postulatum post mutuas, ut fit, vexationes obtinuere Tribuni: componi, quod divulsum fuerat, & hactenus dividua civitas in unam contrahi cœpit. Levius est, sed tamen haud omnino rejectaneum, quod de spectaculis & Caveæ consensu memorare

licet.

licet. Cum Ædilium ludos primum Senatus à Populo ſecretus ſpectaret, cives ademtum ex dignitate Populi, quidquid majeſtati Patrum adjectum eſſet, interpretabantur: & omnia diſcrimina talia, quibus ordines diſcernerentur, & concordiæ & libertati æquæ minuendæ reperiri. Ad D L V I I. annum in promiſcuo ſpectatum eſſe: *Quid repente factum, cur immiſceri ſibi in cavea Patres plebem nollent? cur dives pauperem conſeſſorem faſtidiret? novam & ſuperbam libidinem, ab nullius ante gentis Senatu neque inſtitutam neque deſideratam.* Poſtremo ipſum quoque Africanum, quod Conſul autor ejus diſcriminationis extitiſſet, inſigni correptum pœnitentia ferunt. Sui igitur ipſius, ac natorum domi exemplorum, oportuit eſſe memorem Populum Romanum. Quos in Romana ſemel acceperat, ii deinde magnitudine meritorum præferoces, & hinc ad optimum jus civitatis pertinaciter adſpirantes, ad æquabilitatem optimi juris admittendi potius erant, quam ut pœnas arrogantiæ luens, in æſtu ac diſcrimine reſp. verſaretur, &, ut Poëta cecinit, *dubio tremerent Romana ſub ictu.* Scilicet inflaverat arrogantiam Latinus, inflaverat Campanus, uterque feliciter à Conſulari dignatione participanda rejectus. Jactanter Valerius Maximus: *Annio Campano Conſulem alterum Capuæ creari debere aſſeverante, Manlii minæ languentibus animis calorem priſtinum reddiderunt, & Italiam ad jus Civitatis nobiſcum exæquandum conſurgere paſſæ non ſunt.* Sed & Tiberii Cajique Gracchorum conſilia, toti civitatem Italiæ pollicitorum, ventus ac folia facta fuerant. Et Grac-

 chana

chana retexens consilia Livius Drusus, cum acriter æquabilitatem molitus è foro revertisset, immensa & incognita, quæ semper eum comitabatur, multitudine cinctus, in atrio domus suæ cultello percussus exspiraverat. At hercule festinatus interitus hujus viri, meliore in omnia ingenio animoque, quam fortuna, usi, jampridem tumescens bellum excitavit Italicum. Quippe anno ab Urbe condita DCLXIII. Lucio Cæsare & Publio Rutilio Coss. arma contra Romam Italia cepit, cum amplissima in Remp. merita contulisset, haud impari sese dignam arbitrata cohonestamento. Vellejus Paterculus: *Italicorum caussa fuit justissima: petebant enim eam civitatem, cujus imperium armis tuebantur: per omnes annos, atq; omnia bella, duplici numero se militum equitumque fungi, neque in ejus civitatis jus recipi, quæ per eos in id ipsum pervenisset fastigium, per quod homines ejusdem & gentis & sanguinis, ut externos alienosque, fastidire posset.* Florus: *Bellum quod adversus socios gestum est, Sociale bellum vocetur licet, ut extenuemus invidiam: si verum tamen volumus, illud civile bellum fuit: quippe cum Pop. Rom. Hetruscos, Latinos, Sabinosque miscuerit, & unum ex omnibus sanguinem ducat, corpus fecit ex membris, & ex omnibus unus est.* Calescentes animos inflammaverant Licinia, & Mutia, Leges. Quum enim Italicorum magna pars se pro civibus optimi juris gererent, Licinius Crassus Orator, & Mutius Scævola Pontifex Maximus, ut in suum quisque jus rediret, de regundis Sociorum civitatibus leges tulerãt. Pectorum flammas adauxerat atrox obstinatio Senatus, ac fas gentium, repulsis legatis, abruptum. Quippe, narrante

rante in Bellis Civilibus Appiano, Marſorum, Pelignorum, Veſtinorum, Picentium, Ferentanorum, Hirpinorum, Venuſinorum, Apulorum, Lucanorum, Samnitium legatis publicas ad Senatum querelas delaturis, ferociter & acerbe Senatus: *ſi reſipiſſent, audituros ſe legationes.* Primum belli conſilium machinator dolus Albano monti commiſit, ut feſto nimirum die Feriarum Latinarum Conſules, inter ſacra & aras immolarentur. Poſtquam id nefas proditione diſcuſſum eſt, Aſculo furor erupit, in ipſa ludorum frequentia trucidatis, qui tum aderant ab Urbe, proceribus: hoc fuit impium Socialis belli ſacramentum. Mox conceptam animis indignationem in arma propulere Marſi, memores antiquæ gloriæ, quod omnium ore celebraretur illud, *nec de Marſis, nec ſine Marſis, triumphatum Romæ fuiſſe.* Unde bellum iſtud non minus Marſici, quam Socialis aut Italici nomine cognitum, in autores & ſecula ivit. Dehinc jam paſſim ab omni parte Italiæ, diſcurſante Silone Poppedio, creberrima per populos & urbes ſigna cecinere. Florus iterum prodeat: *Quid hoc bello triſtius, quid calamitoſius, quum omne Latium atque Picenum, Hetruria omnis atque Campania, poſtremo Italia contra matrem atque parentem ſuam Urbem conſurgerent? quum omne robur fortiſſimorum fideliſſimorumque ſociorum ſub ſuis quiſque ſignis haberent municipalia illa prodigia, Poppedius Marſos, & Latinos Afranius, Samnium Lucaniamque Teleſinus: quum regum & gentium arbiter Populus ipſum ſe regere non poſſet: ut victrix Aſiæ Europæque à Corfinio Roma peteretur.* Petita videlicet eſt à Corfinio Roma. Corfinium erat

 urbs

urbs omnibus communis, claritate ac magnitudine præcipua, cui nuper Italici colophonem imposuerant, in qua cum alia, quæ magnam urbem & imperium ornant, tum forum amplissimum & curiam magnificam exstruxerant, largamque ad omnes belli usus copiam, & pecuniarum & commeatus, illic repositam habebant. Senatum præterea IↃ. virorum inibi constituerant, unde producerentur, qui digni urbium magistratibus essent, ac prudenter omnium salutem in consilia mittendi facultate pollerent. His belli commendaverant administrationem, summamque adeo potestatem rerum omnium Senatoribus illis permiserant. Ab his sancita lex fuit, ut binos Consules singuli acciperent anni: ac, qui tunc volvebatur annus, accipiebat Consules Quintum Silonem Poppedium, virum in gente Marsica primarium, & Cajum Aponium, & ipsum gloria rebusque gestis populares inter emicantem. Hi totam Italiam in duas dirimere partes ausi, alteram uterque partem, tanquam provinciam Consularem, sibi disignavere. Diodorus Siculus in Eclogis: *Omnibus dextre compositis, &, ut in summam res conferatur, ad antiquum Rom. imperii ordinem conformato etiam suo, acrius in reliquum deinceps bellum incubuerunt, & Italicæ nomine communem illam urbem indigitarunt.* Strabo in quinto Geographiæ: *Corfinium, quod est Pelignorum caput, communem omnibus Italis instar Romæ urbem designaverunt, belli arcem, & Italicæ nomen indiderunt, contractisque sociorum auxiliis, & Consulibus ac Prætoribus creatis, biennio bellum istud produxerunt: donec potiti sunt ea, ob quam arma ceperant*

perant communione. Nempe captis armis, æquæ vires gesta libravere:

——— magno discordes æthere venti
Prælia ceu tollunt, animis & viribus æquis.
Non ipsi inter se, non nubila, non mare cedit:
Anceps pugna diu, stant obnixa omnia contra.

Fortuna prœliorum victoriis ac cladibus reciprocata. Campi continuis late funeribus operiebantur, & cognato sanguine decolores fluvii spumabant. Diodorus: *Bellum Marsicum omnium maximum fuit.* Florus: *Nec Annibalis, nec Pyrrhi fuit tanta vastatio.* Vellejus: *Id bellum amplius trecenta millia juventutis Italicæ abstulit.* Itaque vera rem metientibus æstimatione, similiores victis fore videbantur, qui vicissent. Ecquæ finis igitur insaniendi? Paullatim in civitatem recipiendo, qui maturius arma deposuissent, vires refecere Romani, rerum temporumque callidis ita fluenti procumbentique reip. subveniendum censentibus. Vellejum Paterculum audi: *Italico bello Romani victis afflictisque, ipsi exarmati, quam integris universis, civitatem dare maluerunt.*

CAPUT XIV.

Nova turbamenta, post acceptos in æquum Jus Civitatis Italicos.

Recentibus perfossa vulneribus Republica, ac Lege Consulari Lucii Julii, Strabonisque Pompeji, de recipien-

cipiendis in civitatem Sociis, medicam adhibente manum, vix ac ne vix quidem obductæ cicatrices iterum novo diruptæ vulnere fuere. Extortum videlicet armis fuerat, ut Italici pari cum incolis ſuffragandi jure potirentur. Placuit artibus quibuſdam, & arcanis dominationis adhibitis, eludere vim conceſſi juris. Ut irent in ſuffragia novelli cives, diſpeſcendi tributim erant. Atqui in XXXV. tribus, quot tunc quidem temporis erant, conjecti diſtributique minime fuere: ne, abundante multitudine, veterum civium decus atque potentiam aut æquarent, aut anteirent. Paterculus: *Ne potentia eorum & multitudo veterum civium dignitatem frangeret, pluſque poſſent recepti in beneficium, quam auctores beneficii.* Separatim igitur in decurias ſunt redacti: ac novæ decem tribus acceſſere prioribus, in quibus illi ſuffragia poſtremi ferrent, ſed ut plurimum ſupervacanea nulliuſque momenti, quod antiquæ XXXV. & primæ citarentur, & ſupra dimidium reliquas excederent, adeoque ſolæ plebiſcitorum omnium arbitræ dominæque forent. *Hoc tunc quidem non animadverſum*, inquit Appianus, *poſtea tamen deprehenſum, novarum ſeditionum materia fuit.* Enimvero quum ſe nihil ad comitia roboris ac nervorum adferre perſpicerent, cluſos ſemet ac circumventos interpretati, ad P. Sulpitium, novarum rerum cupidum Tribunum, tanquam ad commune publicarum querelarum receptaculum, confugere. Is, Mario quoque ſuggerente, faces ac tela turbis, ad aucupandam eorum benevolentiam promulgare Legem conſtituit, de novis civibus in veteres

trans-

transferendis. Verum iſta Lex aut perlata non eſt, aut certe eodem anno à L. Sylla Conſule, quum in Urbem è Campania regreſſus, ipſum Sulpitium ac Marium inimicos Urbe exturbaſſet, una cum cæteris ejus legibus eſt everſa. Sequenti anno ad Conſulatum eluctatus L. Cinna, quum admodum ſecunda plebe Italica volitaret, ad devinciendas arctius ejus voluntates, ac ſimul ad opes ſuas adverſus abſentis terrorem Syllæ firmandas, pertexenda ſibi Sulpitiana conſilia ſumſit. Itaque denuo pollicitus eſt Italicis, in omnibus tribubus eos ſe diſtributurum, ac novitios antiquoſque cives mixturum atque conflaturum. Eo nomine ingentem totius Italiæ frequentiam in Urbem acciverat. E qua pulſus collegæ optimatiumque viribus, quum in Campaniam tenderet, ex auctoritate Senatus abrogatus eſt ei Conſulatus, ac ſuffectus in ejus locum L. Cornelius Merula, flamen Dialis. Tum Cinna pellectis primo centurionibus ac tribunis, mox etiam, ſpe largitionis, militibus, ab eo receptus eſt exercitu, qui circa Nolam caſtrametabatur. Hic quum univerſus in ejus verba juraſſet, inſignia Conſulatus retinens, patriæ bellum intulit, ingenti fretus Italicorum numero civium, è quorum delectu trecentas amplius cohortes conſcripſerat, ac triginta legionum inſtar impleverat. Ecquæ finis igitur? Ipſo Cinna, quartum Conſule, interfecto, & Cn. Carbone ſolo Conſulatum gerente, Socios omnes in XXXV. tribus diſpertitos, ac vi ſuffragiorum ferundorum priſtinis civibus adæquatos fuiſſe, colligere licet ex LXXX. Epitome

Liviana Flori. Itaque victam ſeſe faſſa eſt iterum ambitio, & impar Sociorum adverſus ſemet æſtimatio: ac, ſiquidem ſpem ac robur adſumere ſecuritas publica deberet, admittenda paritas fuit. Hoc autem pacto quum Italia civitatem Romanam multo ſudore primum ac ſanguine meruiſſet, deinde vero armis Populi Romani voluntatem, ad eam æquabiliter communicandam, expugnaſſet, ac dolos expugnati denuo debellaſſet, tum tanta derepente peregrinorum in Urbem copia confluxit, ut nova Lege coercenda eorum frequentia videretur. Etenim Dione Caſſio perhibente, Cotta & Torquato Coſſ. anno ab V. C. DCLXXXVIII. quotquot novi incolæ Urbem oneraturi videbantur, Italis exceptis, Vrbe pulſi fuere, C. Papii Trib. Pleb. rogatione. Hic eſt autem ille Papius, de quo Conſul Tullius: *Malè, qui peregrinos urbibus prohibent, eoſque exterminant, ut Pennus apud patres noſtros, Papius nuper.*

Caput XV.

Oratio Claudii Cæſaris.

CLaudium Cæſarem fatuitatis, ac mentis imminutæ, plerique reum agunt. Tacitus tamen Annalium XIII. *Nec in Claudio, quotiens meditata diſſereret, elegantiam requireres.* Nempe quod hac tempeſtate uſurpat Italia de hominibus, qui pulchre de rerum pleriſque diſſerunt, nullas prudenter exſequuntur, ipſos in lingua cerebrum habere, idem

idem de Claudio non abſurde liceat effari : Si pulcherrimæ, quam producemus, orationis effectum pulchriorem ſecreveris, Anno ab Urbe condita DCCCI. A. Vitellio, L. Viſpanio Coſſ. quum de ſupplando Senatu agitaretur, primoreſque Galliæ Comatæ, fœdera Romana pridem, ac civitatem; adſecuti, jus adipiſcendorum in Urbe honorum expeterent, multus ea ſuper re variuſque rumor, & ſtudiis diverſis apud Principem certabatur, aſſeverantium, non adeo ægram Italiam, ut Senatum ſuppeditare Vrbi ſuæ nequiret; ſuffeciſſe olim indigenas cum conſanguineis populis, nec pœnitere veteris Reip. Quin adhuc exempla memorari, quæ priſcis moribus ad virtutem & gloriam capeſſendam indoles Romana prodidiſſet. An parum, quod Veneti & Inſubres in curiam irrupiſſent, niſi cœtus alienigenarum velut captivitas inferretur? quem ultra honorem reſiduis nobilium? aut ſi quis pauper è Latio Senator foret? Oppleturos omnia divites illos, quorum avi proavique, hoſtilium nationum duces, exercitus Quiritium ferro vique cecidiſſent, Divum Julium apud Aleſiam obſediſſent. Recentia hæc; quid ſi memoria refricaretur eorum, qui Capitolio & Aræ Maximæ Barbaras manus intentaſſent? Fruerentur ſane vocabulo civitatis: inſignia Patrum, decora Magiſtratuum ne vulgarent. His atque talibus haud permotus Princeps, & ſtatim contraria diſſeruit, & vocato Senatu, pro faſtigio rerum orationem magnificam, facienda dictis æquando, exorſus eſt, quam Tacitus Annalium XI. repræſentat: *Majores mei, quorum*

 anti-

antiquiſſimus Clauſus, origine Sabina, ſimul in civitatem Romanam & in familias Patricinorum adſcitus eſt, hortantur uti paribus conſiliis remp. capeſſam, transferendo huc quod uſquam egregium fuerit. Neque enim ignoro, Julios Alba, Coruncanios Camerio, Porcios Tuſculo, & ne vetera ſcrutemur, Hetruria Lucaniaque & omni Italia in Senatum accitos. Poſtremo ipſam ad Alpes promotam, ut non modo ſinguli viritim, ſed terræ genteſque in nomen noſtrum coaleſcerent. Tunc ſolida domi quies, & adverſus externa floruimus, cum Tranſpadani in civitatem recepti, cum ſpecie deductarumm per orbem terræ legionum, additis provincialium validiſſimis, feſſo imperio ſubventum eſt. Num pœnitet Balbos ex Hiſpania, nec minus inſignes viros è Gallia Narbonenſi tranſiviſſe? Manent poſteri eorum, nec amore in hanc patriam nobis concedunt. Quid aliud exitio Lacedæmoniis & Athenienſibus fuit, quanquam armis pollerent, niſi quod victos pro aligenis arcebant? At conditor noſter Romulus tantum ſapientia valuit, ut pleroſque populos eodem die hoſtes, dein cives habuerit. Advenæ in nos regnaverunt. Libertinorum filiis magiſtratus mandari, non, ut plerique falluntur, recens, ſed priori populo factitatum eſt. At cum Senonibus pugnavimus. Scilicet Volſci & Æqui nunquam adverſam nobis aciem ſtruxere. Capti à Gallis ſumus. Sed & Tuſcis obſides dedimus, & Samnitium jugum ſubivimus. Attamen ſi cuncta bella recenſeas, nullum breviore ſpatio, quam adverſus Gallos confectum: continua indę ac fida pax. Jam moribus, artibus, affinitatibus noſtris mixti, aurum & opes ſuas inferant potius, quam ſeparati habeant. Omnia P. C. quæ nunc vetuſtiſſima creduntur, nova fuere plebeji Magiſtratus poſt Patricios, Latini poſt plebejos, cæterarum Italiæ gentium poſt Latinos. Inveteraſcet hoc quo-

quoque, & quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit. Orationem Principis excipiente Patrum consulto, primi Hedui Senatorum in Vrbe jus adepti sunt. Datum id antiquitati fœderis, & quod Fraternitatis cum Pop.Rom. nomen usurparent. Hæc porro Principis oratio Lugduni, celebri Galliarum urbe, in æs incisa fuit, non quidem parem præferens verborum magnificentiam, sed exporrecta & amplificata luculentius. In hunc usque diem superest ea Tabula, tot jam seculis obluctata temporum tyrannidi. Non inconcinnum reor, hîc ejus paucula, tanquam specimen, ostendi. Pagina prima: *Equidem primam omnium illam cogitationem hominum quam maxime primam, occursuram, mihi provideo, deprecor ne quasi novam, istam rem introduci exhorrescatis: sed illa potius cogitetis, quam multa in hac civitate novata sint, & quidem statim ab origine urbis nostræ; in quot formas statusque, resp. nostra diducta sit. Quondam Reges hanc tenuere urbem, nec tamen domesticis successoribus eam tradere contigit, supervenere alieni & quidam externi.* Iterum: *Communicatos postremo cum plebe honores non imperii solum, sed Sacerdotiorum.* Pagina secunda: *Patruus Ti. Cæsar omnem florem ubique coloniarum ac municipiorum, bonorum scilicet virorum & locupletium in hac curia esse voluit; quid ergo, non Italicus Senator provinciali potior? Est: jam vobis cum hanc partem censuræ meæ approbare cœpero, quid de ea re sentiam, rebus ostendam. Sed ne provinciales quidem, si modo ornare curiam poterint, rejiciendos puto. Ornatissima ecce colonia valentissimaque Viennensium, quam longo jam tempore Senatores huic curiæ confert?* Iterum: *Tempus est jam Cæsar Germani-*

manicæ, detegere, te Patribus conſcriptis, quo tendat oratio tua. Jam enim ad extremos fines Galliæ Narbonenſis veniſti: Tot ecce inſignes juvenes quot intueor: non magis ſunt pœnitendi Senatores quam pœnitet Perſicum nobiliſſimum virum, amicum meum, inter imagines majorum ſuorum Allobrogici nomen legere. Quod ſi hæc ita eſſe conſentitis, quid ultra deſideratis, quam ut vobis digito demonſtrem, ſolum ipſum ultra fines Provinciæ Narbonenſis jam vobis Senatores mittere, quando ex Lugduno habere nos noſtri ordinis viros non pœnitet. Timide quidem P. C. egreſſus adſuetos familiaresque vobis provinciarum terminos ſum: ſed deſtricte jam Comatæ Galliæ cauſa agenda eſt: in qua ſi quis hoc intuetur quod bello per decem annos exercuerunt, Divum Julium idem opponat, centum annorum immobilem fidem obſequiumque multis trepidis rebus noſtris pluſquam expertum. Illi patri meo Druſo Germaniam ſubigenti tutam quiete ſua ſecuramque à tergo pacem præſtiterunt. Exarſit autem tanta civitatis impertiendæ cupidine Claudius, uti luſtrum ipſo condente, cenſa fuerint civium LXIX. centena & XLIIII. millia: quemadmodum numerat in Chronico Caſſiodorus. Et hanc Principis munificentiam, Romana liberaliter exteris impertientis, immerito ridet in Apocolocyntoſi ludibundus Seneca: *Sed Clotho: Ego mehercule*, inquit, *puſillum temporis adjicere illi volebam, dum hos pauculos, qui ſuperſunt, civitate donaret. Conſtituerat enim omnes Græcos, Gallos, Hiſpanos, Britannos, Sauromatas, & ſi qui ultra glacialem Boream incolunt Barbari togatos videre. Sed quoniam placet aliquos peregrinos in ſemen relinqui, & tu ita jubes fieri, fiat.* Cæterum libro LI. Dion Caſſius aperit,

rit, ante Claudium Octavio etiam Augusto naviter inculcasse Mecœnatem, ut optimum quemq; ac nobilissimum, non ex Italia tantum, verum etiam è fœderatis ac subditis excerptos, Senatoria dignatione cohonestaret: ut communicati status beneficio devincti, invicto & Cæsarem & Romana complecterentur amore. Idem in Equestri faciendum ordine monuerat: in hunc quoque omnes, qui ubique gentium genere, virtute, ac divitiis secundo loco implendo pares viderentur, adscribendos. *Subditos in hanc persuasionem adduces, quod eos non servorum, aut deterioris, quam Romani sint, conditionis hominum loco habeas, sed cum eis omnia nostra bona, ac ipsum etiam imperium communices: ut alacriore studio in id tuendum, tanquam ad se quoque pertinens, incumbant: ac nostram quasi unicam urbem incolentes, eam vere urbem, suas autem patrias agros esse, pagosque, putent.* Tandem vero istius cautionis fine liberalitatem Cæsaream circumscripserat: *Ne simul eis omnia largiamur. Ad nonnullos magistratus gerendos, & cumprimis ad Consulatum, solos tibi censeo Romanos deligendos, partim propter institutorum patriæ memoriam, partim ne protinus immutare Reip. statum videaris.*

CAPUT XVI.

Fraternitas Populorum.

COllibitum quoque gentibus est, ei nomini, quod sanctissimum inter privatas necessitudines habetur, publicam

blicam illigare benevolentiam. Primis Gallorum Heduis aditum ad honores patefactum vidimus, quod *Fraternitatis* cum Populo Romano nomen usurparent. Sicuti perscriptum est in primo Commentario de Bello Gallico, multæ res Cæsarem hortabantur, ob quas sibi refrænandam Ariovisti licentiam putaret: sed ista præcipue, quod *Heduos fratres consanguineosque sæpenumero ab Senatu appellatos*, expavescere servitutem atq; ditionem Germanorum perspiceret, eorumque detineri obsides apud Ariovistum, ac Sequanos, intelligeret: quod in tanto imperio Pop.Rom. & à se & à Rep. amoliendum dedecus arbitrabatur. Ac paullo interjecto tempore, cum ex equis colloquerentur, docebat Ariovistum Julius, quam veteres quamque justæ caussæ necessitudinis Populo Romano cum Heduis intercederent: quæ Senatus-Consulta, quotiens, quamque honorifica, in eos facta essent: ut omni tempore totius Galliæ principatum Hedui tenuissent: Pop. Rom. hanc esse consuetudinem, ut socios atque amicos non modo sui nihil deperdere, sed gratia, dignitate, honore, auctiores indies fieri velit: quod vero ad amicitiam Pop. Rom. attulissent, id iis eripi, neminem vel mediocri pollentem animo pati posse. Quum deinde controversiæ quædam, tanquam belli prælusiones atque præcursiones, commissuræ inter semet ipsos viderentur Heduos: ne tanta, ac tam conjuncta Pop. Rom. civitas, quam ipse semper aluisset, omnibusque rebus ornasset, ad vim atque ad arma descenderet, huic rei prævertendum Cæsar existimavit. Et, quod legi-

legibus Heduorum, iis, qui ſummum Magiſtratum obtinerent, excedere è finibus haud liceret, ne quid de jure aut legibus eorum deminuiſſe videretur, ipſe (quanquam à bello atque ab hoſte diſcedere, maximopere detrimentoſum erat) in Heduos proficiſci ſtatuit: Senatumque omnem, & quos inter controverſiæ caleſcebant, ad ſe Decetiam evocavit. Ibi priſtina vis Legi reddita, quæ duos ex una familia, vivo utroque, non modo Magiſtratus creari vetabat, ſed etiam in Senatu eſſe prohibebat: hanc enim actis primo cuniculis ſubruere, mox aperta vi deſtruere conabatur ambitio. Tum cohortatus eos Cæſar eſt, ut fraternæ non modo cum Pop. Rom. verum etiam inter ſemet ipſos, excolendæ benevolentiæ memores, ſopita nunquam recaleſcere diſſidia paterentur. Hæc fere perſcribuntur in ſeptimo Commentario. Hac deinde gloria Romanæ Fraternitatis intumuere Panegyrici. Qui dictus eſt Flavientium Heduorum nomine apud Conſtantinum Auguſtum: *Quænam igitur gens toto orbe terrarum in amore Romani nominis Heduis ſe poſtulet anteponi? qui primi omnium, inter illas immanes & Barbaras Galliæ gentes, plurimis Senatus Conſultis Fratres Pop. Rom. appellati: & quum à cæteris Rhodano ad Rhenum uſque populis ne pax quidem poſſet niſi ſuſcepta ſperari, ſoli & conſanguinitatis nomine gloriati ſunt, & nuper (ut media prætercam) Divum parentem tuum ad recuperandas Gallias ſoli vocaverunt, & ante pauciſſimos annos (quod maxime prædicandum) plurima Patris tui beneficia partim rebus effecta perceperunt, partim animo ſignificata lætantur. Fuit olim Saguntus fœderata, ſed quum*

tædio Punici belli novare imperium omnis cuperet Hispania, fuit amica: Massilia protegi se majestate Romana gratulabatur: imputavere se origine fabulosa in Sicilia Mamertini, in Asia Ilienses. Soli Hedui non metu territi, non adulatione compulsi, sed ingenua & simplici caritate Fratres Pop. Rom. crediti sunt, appellarique meruerunt: quo nomine, præter cætera necessitudinum vocabula & communitas apparet, & dignitatis æqualitas. Qui dictus est apud Maximianum Augustum: *Quin etiam illa, cujus nomine mihi peculiariter gratulandum, devotissima vobis civitas Heduorum ex hac Britannicæ facultate victoriæ plurimos, quibus illæ Provinciæ redundabant, accepit artifices, & nunc exstructione veterum domorum, & refectione operum publicorum, & templorum instauratione consurgit: nunc sibi redditum vetus illud Romanæ Fraternitatis nomen existimat, quum te rursus habeat conditorem:* Sed quod assertum eunt aliqui, solos Gallorum Heduos ejus honorem nominis usurpasse, Lucanus equidem repugnat, qui Arvernos eodem superbiisse titulo canit, quanquam origine modo fabulosa, per insulsam vanitatem, sese Romanis inectentes. In primo Pharsaliæ:

Avernique ausi Latio se fingere Fratres,
Sanguine ab Iliaco populi.

At Batavis antiqui tres lapides, annis superioribus in insula Batavorum effossi, tanti majestatem cognomenti tribuunt. Primi lapidis inscriptio: LEG. AVG. PR. PR. CVRANTE. CÆCIL. BATOE. PRÆ. GENS. BATAVORVM. AMICI. ET. FRATRES. ROMANI. IMPERII. Secundi:

di: GENS. BATAVORVM. AMICI. ET. FRATRES. ROM. IMP. Tertii: FORTV. NÆ. AVG. SAC. PRO. SALVTE. ITV. AC. REDITV. D.D. N. N. M. AVR. ANTONINI. AVG. ET. P. SEPTIMII. GETÆ. NOBILISS. CÆS. CIV. BATAVI. FRATRES. ET. AMICI. POP. ROM. V. S. L. M. Merita videlicet illuſtria tanti fulgorem cognomenti Bataviæ circumdederant. Tacitus: *Manet honos Batavis, & antiquæ ſocietatis inſigne: nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit: exemti oneribus & collationibus, & tantum in uſum prœliorum ſepoſiti, velut tela atque arma, bellis reſervantur.*

CAPUT XVII.

Conſtitutio Antonini Pii.

DIgeſt. lib. 1. Tit. de ſtatu hom. *In Orbe Romano qui ſunt, ex conſtitutione Imperatoris Antonini cives Romani effecti ſunt.* Hinc Digeſt. lib. 1. Tit. Ad municip. *Roma communis noſtra Patria eſt.* His, qui gloriam hujus Conſtitutionis ereptum Pio, infamique monſtro, Caracallæ Antonino, tranſcriptum eunt, opponimus Authenticam, ſive Novellam Conſtitutionem LXXVIII. ſtylo ſeculum redolente conceptam. Ejus Authenticæ cap. V. Juſtinianus Imp. *Fecimus autem novum nihil, ſed egregios ante nos Imperatores ſequimur. Sicut enim Antoninus Pius cognominatus* (ex quo

etiam ad nos appellatio hæc pervenit) jus Romanæ civitatis prius ab unoquoque subjectorum petitum, & taliter ex iis qui vocantur peregrini, ad Romanam ingenuitatem deducens, hoc ille omnibus in commune subjectis donavit: Theodosius Junior post Constantinum Maximum, sanctissimæ hujus civitatis conditorem, filiorum prius jus petitum in commune dedit subjectis: sic etiam nos hoc videlicet regenerationis & aureorum annulorum jus, unicuique petentium datum, & damni & scrupulositatis præbens occasionem, & manumissorum indigens auctoritate, omnibus similiter subjectis ex hac lege damus. Restituimus enim naturæ, ingenuitate dignos, non per singulos de cætero, sed omnes deinceps qui libertatem à dominis meruerint, ut hanc magnam quandam & generalem largitatem nostris subjectis adjiciamus. Comitentur Imperatoriam Antonini Pii Constitutionem duarum excellentium animarum elogia, quibus ad omnes populos exporrectæ civitatis & gloriam & commoda prosequuntur. D. Augustinus de Civit. Dei lib. v. cap. XVII. *An vero aliquid nocuerunt Romani gentibus, quibus subjugatis imposuerunt leges suas, nisi quia id factum est ingenti strage bellorum? Quod si concorditer fieret, id ipsum fieret meliore successu: sed nulla esset gloria triumphantium. Neque enim & Romani non vivebant sub legibus suis, quas cæteris imponebant.* Et deinde: *Præsertim, si mox fieret, quod postea gravissime atque humanissime factum est: Ut omnes ad Rom. Imperium pertinentes, societatem acciperent civitatis, & Romani cives essent: ac sic essent omnium, quod erat ante paucorum. Nam quid interfit ad incolumitatem, bonosque mores & ipsas certe hominum dignitates, quod alii vicerunt, alii victi sunt, omnino non video. Numquid*

quid enim illorum agri tributa non ſolvunt? Numquid illis licet diſcere, quod aliis non licet? Numquid non multi Senatores ſunt in aliis terris, qui Romam nec de facie quidem nôrunt? Vir Conſularis, ac Præfectus prætorio, Rutilius Numatianus, quem florentem Auguſtini tempora ſpectavere, libro primo Itinerarii prædulci Romam carmine compellat:

Feciſti patriam diverſis gentibus unam:
Profuit injuſtis te dominante capi.
Dumque offers victis proprii conſortia juris,
Urbem feciſti quod prius orbis erat.
Auctores generis Venerem Martemque fatemur,
Æneadum matrem, Romulidumque patrem.
Mitigat armatas victrix clementia vires:
Convenit in mores nomen utrumque tuos.
Hinc tibi certandi bona parcendique voluptas,
Quos timuit ſuperat, quos ſuperavit amat.

Et pauculis interfluentibus:

Tu quoque legiferis mundum complexa triumphis,
Fœdere communi vivere cuncta facis.
Te dea, te celebrat Romanus ubique receſſus,
Pacificoque gerit libera colla jugo.
Omnia perpetuos quæ ſervant ſidera motus,
Nullum viderunt pulchrius imperium.
Quid ſimile Aſſyriis connectere contigit armis,
Medi finitimos cum domuere ſuos?
Magni Parthorum reges, Macetumque tyranni,
Mutua per varias jura dedere vices.

I 3 *Nec*

Nec tibi naſcenti plures animæque manuſque,
Sed plus conſilii judiciique fuit.
Juſtis bellorum cauſſis, nec pace ſuperba,
Nobilis ad ſummas gloria venit opes.

Caput XVIII.

De commodis è tot Populis coaliti Rom. Imperii.

Hortari nos antegredientia videntur, uti paulliſper adhuc exſpatiemur in illa maximi momenti commoda contemplanda, quæ orbi peperit è tot populis conflati atque coaliti Imperii Romani majeſtas & amplitudo. Tacitus de tempore, quo id omnium auguſtiſſimum fuit: *immota quippe aut modice laceſsita pax.* Unde profitetur idem, Annales ſuos haudquaquam cum eorum ſcriptura contendendos eſſe, qui veteris Pop. Rom. res compoſuere. Ingentia illos bella, expugnationes urbium, fuſos captosque reges, egreſſu libero patentique memoraſſe: ſibi, propter temporum atque gentium quietem, humilem & inglorium obveniſſe laborem. Cuncta videlicet immenſa pacis Romanæ majeſtas amplectabatur: ubique nationes aut armis edomitæ, aut metu pacatæ, aut pietate devinctæ, profundum otium agitabant. Hoc modice laceſſente inſano aliquo regulo, aut popello, à magno illo imperio pœna & ultor ilicet imminebant. Proin hoſtium, exercituum, obſidionum, prœliorum rara mentio: arare, ſerere, metere, convivari, nuptias celebrare, gignere liberos & educare, uſitatiſſima vocabula temporum erant. Florulen-

rulenta quidem iſta, ſed à vero non abludentia Græci oratoris Ariſtidis: *Bella vero vix unquam nunc creduntur extitiſſe, ac pro commentis habentur à pleriſque. Quod ſi alicubi ad limites conflictus fuerit (ut in magno & immenſo imperio facile ſit) ob Getarum inſaniam, vel Afrorum miſeriam, vel rubri maris accolarum infelicitatem, qui commodis boniſque ſuis neſcierunt uti, mox iſta, tanquam fabulæ, cum omni memoria evanuerunt. Tanta pax apud vos viget, ô Romani, etſi militiam bellumque habetis inter patria inſtituta. Itaque univerſus orbis ſub vobis, tanquam feſtum diem agitans, quos olim gerere ſolebat gladios, depoſuit, ad convivia autem & reliquam omnem lætitiam liber ſe convertit. Et aliæ quidem contentiones aut certamina urbes reliquerunt: unum omnes habet, ut earum quæque pulcherrima & jucundiſſimo adſpectu appareat. Itaque omnia plena gymnaſiis, aquæductibus, porticibus, templis, tabernis, ſcholis: ut aliquis vere dixerit, inclinantem & labantem mundum reſtitutum à vobis eſſe. Nec urbes ſolum ſplendore & decore lucent, ſed tota adeo terra inſtar horti aut paradiſi conſpicitur exculta.* Jampridem, rebus ad ſumma neutiquam evectis, cum T. Quinctius, juſſu Senatus, liberos & immunes à Macedonum legibus eſſe Græcos juberet, gratis & cogitationibus & ſermonibus identidem illud repetebatur, eſſe aliquam in terris gentem, quæ bella pro libertate aliena gereret, nec hoc finitimis ac propinquæ vicinitatis hominibus, aut terris continenti junctis præſtaret, ſed maria trajiceret: *ne quod toto orbe terrarum injuſtum imperium eſſet, & ubique jus, fas, lex, potiſsima forent.* Qui libro XXXIII. memorat iſta Livius, idem libro XLV.

Libe-

Liberos esse placebat Illyrios, ut omnibus gentibus appareret, arma Pop. Rom. non liberis servitutem, sed contra servientibus libertatem adferre: ut & in libertate gentes quæ essent, tutam eam sibi perpetuamque sub tutela Pop. Rom. esse, & quæ sub regibus viverent, mitiores eos justioresque respectu Pop. Rom. habere se crederent. Ad summa rebus eluctantibus, Adherbal apud Sallustium: *Si omnia, quæ aut amisi, aut ex necessariis adversa facta sunt, incolumia manerent: tamen, si quid ex improviso mali accidisset, vos implorarem P. C. quibus pro magnitudine imperii jus & injurias omnes curæ esse decet.* Ac mox: *Virtute, ac diis volentibus, magni estis & opulenti: omnia secunda & obedientia sunt: quo facilius sociorum injurias curare licet.* Idem Sallustius in oratione secunda, de Rep. ordinanda: *Si morbo jam, aut fato, huic imperio secus accidat, cui dubium est, quin per orbem terrarum vastitas, bella, cædes, oriantur?* Ad summa rebus eluctatis, Orosius ista lib. III. prompsit: *Indubitatissime constat, sub Augusto primum Cæsare, post partam pacem universum terrarum orbem positis armis, obolitisque discordiis, generali pace & nova quiete compositum Romanis paruisse legibus: Romana jura, quam propria arma maluisse: spretisque ducibus suis judices elegisse Romanos: postremo omnibus gentibus, cunctisque provinciis, innumeris civitatibus, infinitis populis, totis terris unam fuisse voluntatem, libero honestoque studio inservire paci, atque in commune consulere: quod prius ne una quidem civitas, unusve populus civium, vel quod majus est, una domus fratrum jugiter habere potuisset.* Hæc de seculo Augusteo, tanquam prospero ac salutari rebus humanis exorto sidere, Orosius. Vespasiani deinceps ævo

Peti-

Petilius Cerialis, ad iraſcentes fortunæ ſuæ Treviros ac Lingones, hanc Hiſtoriarum IV. Tacito memoratam orationem habuit: *Libertas & ſpecioſa nomina prætexuntur: nec quiſquam alienum ſervitium, & dominationem ſibi concupivit, ut non eadem iſta vocabula uſurparet. Regna bellaque per Gallias ſemper fuere, donec in noſtrum jus concederetis. Nos, quanquam totiens laceſſiti, jure victoriæ id ſolum vobis addidimus, quo pacem tueremur. Nam neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt. Cætera in communi ſita ſunt: ipſi plerumque legionibus noſtris præſidetis: ipſi has aliaſque Provincias regitis: nihil ſeparatum clauſumve. Et laudatorum Principum uſus ex æquo, quamvis procul agentibus: ſævi proximis ingruunt. Quomodo ſterilitatem aut nimios imbres & cætera naturæ mala, ita luxum vel avaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt donec homines: ſed neque hæc continua, & meliorum interventu penſantur. Niſi forte Tutore & Claſſico regnantibus, moderatius imperium ſperatis: aut minoribus, quam nunc, tributis parabuntur exercitus, quibus Germani Britannique arceantur. Nam pulſis (quod Dii prohibeant) Romanis, quid aliud quam bella omnium inter ſe gentium exiſtent? octingentorum annorum fortuna diſciplinaque compages hæc coaluit: quæ convelli ſine exitio convellentium non poteſt.* Proinde: *Pacem & urbem, quam victi victoreſque eodem jure obtinemus, amate, colite. Moneant vos utriuſque fortunæ documenta, ne contumaciam cum pernicie, quam obſequium cum ſecuritate, malitis.* Tali oratione compoſuit infenſos. Quanti vero facienda orbi terrarum immenſa illa commoda fuere: communicationem dico inter ſe hominum & rerum, itinera ſecura, commercia patentia?

Tuto advehere longinqua licebat, ignota publicare: ac omnino orbis ea communione quasi in unam coalescere civitatem videbatur. Elegantia, litteræ, cultus animorum, Barbaris invehebantur. Quum etiam discerpti linguis omnes una Latiari coalerent, atq; ea cum imperio quaquavorsum extenderetur. Hæc, pro rei temporumque gloria, splendide Strabo, Plinius uterque, Claudianus, extulere. Strabo: *Romani multas gentes antea feras, ob montes, aut locorum naturam asperam, aut ob frigus aliamve caussam, sub imperium assumentes, eas ipsas ex disjunctis & insociabilibus una commerciis junxerunt, & pro agresti vita civilem agere docuerunt.* Naturæ Scriptor Plinius: *Italia numine Deûm electa, quæ cœlum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret imperia, ritusque molliret, & tot populorum discordes ferasque linguas sermonis commercio, contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret: breviterque, una cunctarum gentium in toto orbe Patria fieret.* Epistolarum & Panegyrici Scriptor Plinius: *Æternis commeatibus Orientem Occidentemque connectit, ut quæ ubique seruntur, quæque expetuntur, omnes gentes invicem capiant: & discant, quanto libertate discordi servientibus sit utilius unum esse cui serviant. Quippe discretis quidem bonis omnium sua cujusque ad singulos mala, sociatis autem atque permixtis singulorum mala ad neminem, ad omnes omnium bona pertinent.* Claudianus:

Hæc est, in gremium victos quæ sola recepit,
Humanumque genus communi nomine fovit,
Matris, non dominæ ritu: civesque vocavit,
Quos domuit, nexuque pio longinqua revinxit.
Hujus pacificis debemus moribus omnes,

Quod veluti patriis regionibus utitur hospes,
Quod ſedem mutare licet, quod cernere Thulen
Rurſus & horrendos quondam penetrare receſſus,
Quod bibimus paſſim Rhodanum, potamus Orontem,
Quod cuncti gens una ſumus.


Verba cum rerum certantia pulchritudine produximus: At *Europa noſtra miſera*, maximus inquit ævi noſtri Politicus, *jactatur aſsiduis bellis aut diſsidiis. Quare? Quia Regna aut Dynaſtiæ parvis aut modicis finibus incluſæ, ſemper in vicinos cauſſam habent timendi vel ſperandi, querendi vel ulciſcendi.* Idem cernere dabatur ante Romani magnitudinem imperii: quod ſupra quam dici poteſt, adſerentem pulcherrime Plutarchum producamus. In libro de Fortuna Romanorum: *Equidem hoc me recte opinor cenſere, Fortunam & Virtutem, tametſi maxima & continentia inter ſe gerunt bella, tamen ad tanti compagem imperii atque potentiæ tantæ ſtructuram pace compoſita coiviſſe, humanorumque operum pulcherrimum communicatis operis abſolviſſe.* Plato affirmat, *ex igne & terra, ut neceſſariis primiſque principiis univerſum mundum coaluiſſe, ita ut videri poſſet & tangi: terra gravitatem & ſtabilitatem conferente, igne autem colorem, formam, motum: reliquis in medio interpoſitis naturis, aqua & aere, mollientibus, & reſtinguentibus, itaque extremorum diſsimilitudinem compingentibus, atque materiam temperantibus. Sic utique quod fundamenta Romæ jecit Tempus cum Deo, Fortunam & Virtutem conjunxit atque commiſcuit, ut utriuſque proprias facultates adhibens, omnibus hominibus conficeret Veſtam revera ſacram & beneficam, ac ſtabile retinaculum, & elementum ſempiternum, & quod rebus fluctuantibus atq; ſublabentibus anchora*

esset, ut cum Democrito loquar. Sicut enim Physici tradunt, mundum non fuisse mundum, neque corpora voluisse coeuntia & commixta communem ex omnibus formam naturæ præbere: sed aliis parvis etiamnum ac sparsim agitatis, subterlabentibusque & comprehensionem nexumque effugientibus, grandioribus autem & compactis jam atrocia invicem certamina exercentibus, turbasque dantibus, cum fragore fluctuasse omnia: antequam terra suam nacta ex compactis & agitatis magnitudinem ac stabilita esset: eam firmatam, etiam reliquis in ipsa aut circum ipsam subsistendi opportunitatem exhibuisse: Ita maximis hominum potentiis atque imperiis fortuitis casibus jactatis, & inter se collisis, quod nemo unus imperaret reliquis, vellent omnes, inexplicabilis fuit clades & error ac mutatio continua omnium: Donec Roma vires nacta & aucta, & in se constringente tum gentes & populos, tum peregrina etiam atque transmarina regna & dominia, maximæ res fundamentum, cui inniterentur, & firmitatem adeptæ sunt, imperio in pacatum statum, circulumque immobilem, redacto. Quem qui machinati sunt, eos & omni virtute instructos, & à fortuna plurimis in rebus adjutos fuisse, progrediente oratione demonstrare licebit. Atque hæc quidem, hunc in modum, dici disserique speciose queunt: cæterum haudquaquam ibimus inficiatum, ea quoque Romanæ exprobrari magnitudini posse, quæ maximis imperiis, ac ipsa magnitudine sua laborantibus, solita sunt objectari.

LIBRI PRIMI FINIS.

JOANNIS SCHILDI
DE
COALITIONE POPULORUM,
AC
RERUMPUBLICARUM
LIBER SECUNDUS.

Caput I.
Amphictyonum Curia.



Dmirantem Amphictyonis consilia Servium Tullium, & illustri ejus exemplo tanquam stimulo quodam fodicatum, eo denique perpulisse Latinos, ut & ipsi animos ac oppida Latii compaginarent, anterioris libri sexta dissertatiuncula dixit. Annis ante Servium DCCC. & amplius, si Eusebium sequi supputantem lubet, Amphictyon, Deucalionis filius, Amphictyonici fundamenta collegii jecit. Acrisio, Argivorum Regi decimo quarto, nobilis instituti gloriam Strabo tribuit. Sed id quidem haud insolens est, ut in eos, qui animos operamque præclaram ad illustrìs

alicujus inſtituti firmamentum attulere ejus excogitati primitus ac reperti gloria transfundatur. Auſpice Deucalionis filio coivere Dolopes, Iones, Theſſali, Magnetes, Ænianes, Maleenſes, Pthiothæ, Dorienſes, Locri, Phocenſes. Poſtea pluribus, ac toti prope nomini Græco, conferre capita placuit in Amphictyonico συνεδρίῳ. Unde conſeſſum hunc σύνοδον εἰς τὸ Ἑλληνικὸν appellavere: ſicuti Plinius lib. XXXV. *publicum Græciæ concilium.* Huc à populis legati mittebantur, quos Pylagorarum nomen honeſtabat, propterea quod ἀγορὰ ſeu conventus haberetur ad Pylas, quæ Delphorum in urbe, juxta fanum Apollinis, erant. Et ab his adeo Pylis, ſeu portis, vel, ut alii, columnis, ad ipſum Synedrium Pylæi, ac Pylaici, cognominatio fluxit. Umbilicum Græciæ Delphos elegere concilio ſedem, ut omnes undique civitatibus exciti ſuis Pylagoræ, quos vel Iſthmiaca Græcia, vel extra Iſthmum ſita capiebat, expeditius ad poſitam in medio civitatem advolarent. Bis autem ſtato tempore quotannis advolavere, deſtinatos concilio dies & vere & autumno ſpectante. Quanquam extra ordinem etiam indici ſynedria placebat, quotiens ea neceſſitates ac tempora reip. poſtularent. Ad ineunda ſuffragia proceſſum varie fuit: moremque ac jus eorum, nec non mittundorum Pylagorarum, interpolatum ſubinde ſecula videre. Strabo: *Singulis urbibus ſuffragii latio tributa fuit, aliis pro ſe, aliis cum una aliqua, aut pluribus aliis, communicata ſententia.* Pauſanias: *Fuerunt ætate mea Amphictyones numero* XXX. *A Macedonia, Nicopoli, Theſſaliſque, bini:*

bini: è Bœotis vero (qui priscis temporibus Thessaliæ partem tenuerunt, Æolenses appellati) è Phocensibus item & Delphis bini: unus è vetere Dorica terra. Mittunt præterea Locri, qui Ozolæ appellantur, & qui ultra Eubœam sunt, unum utrique. Unus Eubœensis, & item unus Athéniensis accedit. Athenæ quidem, Delphi, & Nicopolis omnes obeunt Amphictyonum conventus. Nam ex cæteris populis vice quisque sua, raro temporis ambitu, in eum consessum conveniunt. At orator Æschines: *Amphictyonicarum gentium unamquamque demonstrabam par suffragii jus habere, maximam idem quod minimam: eum, qui venisset Dorio, & Cytinio, tantum valere, quantum Lacedæmonios. Binum enim quamlibet gentem suffragium ferre. Ex Ionibus item Erythræum & Prienensem, quantum Athenienses: ac cæteros eodem modo.* Erat autem pars potissima curarum, quæ consessum illum exercebant, libram æquissimorum judicum tenere, exortasque publice populos inter, & oppida, lites examinare: ne scilicet disceptatore Marte sumto, ferro discordias ipsi dijudicarent, sed permissa juris ac legum reverentiæ controversia, à sejunctione quamprimum in gratiam redirent. Hinc illa Taciti Annal. IV. *Samii decreto Amphictyonum nitebantur, queis præcipuum fuit rerum omnium judicium, qua tempestate Græci, conditis per Asiam urbibus, ora maris potiebantur.* Ita non facile quispiam lacessere viciniæ quietem, fidemque ac fas habere vilia, discebat: ita scopulos ac moras securitatis intestinæ Græcus amoliebatur. Præsertim, quod tanta tribunal hoc augustum, sive κοινοδίκιον, auctoritate circumdaretur, uti perquam raro finis & exsecutio judicata destituerent. Quippe, qui curiæ decretis exsibilatis,

latis, unius oppidi vexare pacem pergebat, adverſam habiturus erat potentiam cunctorum. Neque non auctoritatem religionis attollebant: quod templi Delphici, ſplendore donariorum & oraculi majeſtate omnium admirationem vincentis, communem procurationem Amphictyones obtinerent, & in eodem communia ſacrificia congreſſi factitarent. Hoc collegium duramento ſui diutiſſime de temporum rabie triumphavit, inter infinita lapſantis Græciæ diſcrimina modo floreſcens atque prævalidum, modo languidum atque ſeneſcens: dein renaſcens iterum emergenſque, ac quaſi reddita juventute revireſcens. Equidem Auguſti quoque Cæſaris ævo non plane nullam exiſtimationem ejus extitiſſe, vel ex eo clareſcere præclare poteſt, quod ille ſuis ad Actium Nicopolitanis locum inter Amphictyonas eſſe voluit: quum Magnetas, Maleenſes, Ænianas, & Pthiothas innecti ſuffragiis aliorum imperaſſet: ſuffragia vero, quæ iſti, Dolopeſque, tulerant (etenim extincta natio Dolopum erat) abs ſe conditæ recenter in memoriam Actiacæ victoriæ Nicopoli transſcripſiſſet. Quin etiam, quod ſe vivente triginta coiverint Amphictyones, prohibentem libro decimo Pauſaniam produximus. Vixit autem, impoſito rebus Ælio Adriano, Pauſanias. Cujus imperio, & ætati Deucalionis filii, XVI. ſecula, & amplius, interpoſuere, qui cum cura temporum inivere rationem.

CAPUT II.

Quomodo Philippus Macedoniæ Rex in Amphictyonum Curiam irrepſerit.

THebani frænatos armis Lacedæmonios & Phocenſes, quaſi parva ſupplicia cædibus & rapinis exegiſſent, apud Græciæ tribunal Amphictyonas ſuperbe admodum accuſavere. Crimini dedere Lacedæmoniis, quod arcem Thebanam induciarum tempore ſuam feciſſent: Phocenſibus, quod Bœotiam populabundi pervaſiſſent: prorſus quaſi poſt arma ac victoriam, cuncta integra legibus ac diſceptationi reliquiſſent. Judicium, ut fit, arbitrio victorum exercebatur. Nam domini rerum affectus, ſpes ac metus, admiratioque populi victoris, & contemtus ac faſtidium victi, auguſtum quoque tribunal illud Amphictyonicum aliquando verſabant. Hinc tantæ pecuniæ damnabantur accuſati, quantæ omnino impares erant exſolvendæ. Itaque Phocenſes, quum agris, liberis, conjugibusque privarentur, ipſa deſperatione rerum erecti in ſpem fuere, ac Philomelo quodam duce, velut iraſcentes numini, templum ipſum Delphici Apollinis occupavere. Ex immenſæ opulentiæ templo non minus opum atque theſaurorum ea ſubreptum incurſatione ferunt, quam poſtea Macedones & Alexander exhauſta corraſere Perſia. Inde auro & pecuniis onuſti, conducto mercenario milite, bellum Thebano regreſſere. Prima congreſſione Philo-

melus hostem castris exuit: altera primus inter confertissimos dimicans cecidit, & sacrilegii pœnas impio sanguine luit. In hujus locum dux Onomarchus eligitur. Cui retundendo Thebani, Thessalique, non è civibus suis aliquem dextera pollentem, ne triumphabundi potentiam ferre non possent, sed Philippum Macedoniæ Regem ducem eligunt, ac dominationi, quam in suis exhorruerant, extraneo duce sumto, sponte succedunt. Igitur Philippus, quasi sacrilegii, non Thebanorum ultor esset, omnes milites coronis laureis redimire capita jubet, atque ita, velut Apolline præeunte, prœlium init. Phocenses insignibus Dei conspectis, conscientia sceleris exanimati, abjectis armis fugam capessunt, ac pœnas violatarum religionum sanguine cædibusque pendunt. Incredibile quantum ea res apud omnes nationes, & imprimis Amphictyonicas, Philippo gloriæ circumdederit. Illum vindicem sacrilegii,quod orbis expiari armis oportuisset, illum ultorem religionum, solum qui piacula exigeret extitisse dignum. Itaque proximus à diis habebatur, per quem deorum vindicata majestas esset. Exardescere cœpit hoc bellum Sacrum anno II. Olympiadis CVI. restinctum est exeunte secundo Olympiadis CVIII. adeoque, Marte vario,per decem extractum annos fuit. Etenim victis subinde in præcordia virtus redierat. Tandem totius prope Græciæ civitates legationibus adivere Philippum. Ibi Thessali cumprimis, ac Thebani, precibus eum expugnatum ibant, ut professum adversus Phocenses Imperatorem denuo Græ-

cis

cis exhiberet: tanto hoſtium ardentes odio, ut, aut obliti cladium ſuarum, aut nimium memores, perire ipſi, quam non perdere Phocenſes, præoptarent. E contrario Phocenſium legati, Lacedæmoniis adhibitis, arma deprecabantur, quorum ter aut quater ab eo dilationem emerant. Fœdum omnino ſpectaculum! Græciam etiam tunc & viribus & dignitate orbis terrarum principem, regum certe gentiumque victricem, alienis excubare ſedibus, aut rogantem bellum, aut deprecantem: in alterius ope ſpem omnem ponere terrarum vindices, eoque diſcordia ſua civilibuſque bellis redactos, ut adulentur ultro ſordidæ paullo ante clientelarum ſuarum parti: & hæc potiſſimum facere Thebanos ac Lacedæmonios, antea inter ſe imperii, nunc Græciæ imperantis æmulos. Philippus, venditatione magnitudinis ſuæ, tantarum urbium faſtidium agitabat: atque utros potius dignaretur, æſtimatione ſecreta penſitabat. Quippe velut è ſpecula libertati pariter omnium inſidiabatur: id eſſe viri ac principis arbitratus, opportunitatibus imminere temporum, neque deeſſe fortunæ præbenti ſeſe, ſed oblata caſu flectere ad conſilium expandendæ dominationis. Auditis igitur ſecreto legationibus, his veniam belli pollicetur, jurejurando adactis, pollicitationem nemini prodituros: illis contra, venturum ſe auxiliumque laturum. Utroſque vetat parare bellum, aut metuere. Sic variato reſponſo ſecuris omnibus, Thermopylarum fauces occupavit, gloria perſequundorum denuo Sacrilegorum, tanquam vaframentis ſuis accommo-

datiſſima, hæſitantis in animo prævalente. Tum primum Phocenſes irretitos ſeſe Philippi fraudibus animadvertentes, ad arma trepidi confugiunt. Sed neque ſpatium erat inſtruendi belli, aut tempus ad auxilia contrahenda: & Philippus internecionem minabatur, niſi raptim deditio fieret. Solam pacti ſalutem, deditionem ilico fecere. Rex ubi citra pugnam ex inſperato Sacrum bellum confecerat, cum Thebanis ſuis, ac Theſſalis, Senatum habebat, in quo Senatus-Conſultum cudebatur, ut indicto Amphictynum concilio, eorundem ſuffragiis integra totius rei cognitio permitteretur. Hi perſtricti inſidioſo Macedonicorum beneficiorum fulgore, inter æmulantes acclamationes & vota certantia, pietatem atque magnitudinem Regis, Deûm hominumque vindicis, extulere. Et, ut orbis judicium publicæ mentis agnoſceret, decretum ampliſſimum conſentientes ad unum omnes Pylagoræ perſcripſere, quo & delicta Phocenſium acerbe caſtigabant, & Philippo, cum poſteris, in Amphictyonum ſynedrio conſidendi jus liberaliter impertiebant: parum hercule memores, haud facile Libertatem ac Dominos miſceri. Decretum in decimo ſexto Bibliothecæ Diodorus Siculus exhibet: *Philippus cum poſteris ſuis in Amphictyonum collegium adſciſcitor, & gemini ſuffragii jus, quod debellati Phocenſes habuere, habeto. Trium in Phocide urbium mœnia deſtruuntor, nec templi deinceps & Amphictyonum curiæ Phocenſes ſunto participes: nec equos in poſterum armaque poſſidento, uſque dum pecunias ſacrilegio ſurreptas Deo repenſarint. Exules præterea Phocenſium, & quot-*

quot

quot in partem Sacrilegii venerint, piaculares habentor, quos ex omni loco retrahere cuivis liceto. Ad hæc cunctas Phocensium urbes solo Græci æquanto ipsasque in vicos transferunto, quorum unusquisque plus quinquaginta domunculas non habeto, nec minus stadii intervallo à se invicem pagi distanto: Phocenses quidem agrum suum retinento, sed quotannis LX. *talentorum vectigal Deo pendunto, quoad summam in Tabulas Sacrilegii tempore relatam exsolverint. Pythiorum ludos Philippus cum Bœotis & Thessalis edito. Quod Corinthii in scelerati facinoris Phocensium consortio fuerunt, Amphictyones cum Philippo arma Phocensium & mercenariorum ad petras allisa confringunto, & reliquias horum comburunto: equorum denique auctionem faciunto.* Hanc novam crescendi materiam nactus Philippus, suoque jam Amphictyonum voto major, spem ilicet in ulteriora promisit: ac deinde, quod flagrantissime concupiverat, ad bellum Persis inferendum, constitutus est ab universa Græcia copiarum summus Imperator. Ex hoc tempore regia Macedonum, mediis in negotiis Amphictyonicarum gentium versata, agere ac ferre res earum pro lubitu cœpit. Contentiones civitatum alebantur, inferioribus suppetiæ ferebantur, victique pariter ac victores subire regiam servitutem cogebantur. Phocensibus tamen calamitatem suam corrigendi pulchram fortuna suppeditavit occasionem: quam & arripiendam avidissime censuere. Quum enim Galli, Brenno duce, Delphis itidem sacrisque spoliis inhiarent, ipsi proprii notam sceleris aliorum par scelus ulciscendo deleturi, disturbandis iis egregiam præ cunctis aliis operam

navavere. Unde & jus Amphictyonicum, & pristinam aliam omnem dignationem recupavere. Quod Pausanias in decimo libavit.

Caput III.

Panionium.

HEraclidarum incursio magnis per omnem Græciam motibus, ac migrationibus, originem præbuit: cum, ut quisque à valentiore sedibus suis ejectus fuerat, in alterum imbecilliorem incumberet: non secus ac ventis turbato mari fit, ut è longinquo concitati fluctus proximum quemque propellant. Achæi, majorum cedere provincia coacti, contra Ionas in Peloponnesum erupere: iisque debellatis, & in fugam actis, in illorum immigravere possessiones. Ionas in Atticam provolutos Melanthus excepit, qui cum aliis Neleidis, ac Nestoris posteris, eodem non multo ante procucurrerat. Extitere vero præ cæteris insignes, ac fama cognitiores, duæ migrationes: altera Æolica, duce Penthilo Orestis filio, qui statim atque Laconica cessit, in Thraciam primo cum suis penetravit: tum eo vita functo in Asiam trajecere, ejusque partem illam, quæ deinceps Æolis appellata fuit, insedere. Altera longe celebratior eorundem volubilium Ionum migratio fuit, quos nondum in sede stabili fata locaverant. Etenim annis ab excidio Trojæ centum & triginta, vel, ut visum aliis est, decem

decem amplius, poſt Codri Regis obitum ex Attica profecti, filio ejus Androclo ductore, tranſmeaverunt itidem in Aſiam, ac oram ejus, quæ ab illis vocata eſt Ionia oppidis, & adventitio populo, frequentaverunt. Sagacitatem in ſitu deligendo deprædicavit Herodotus: quippe civitates eos habuiſſe cum cœli temperie, tum montium, ac maris, opportunitate omnium, ad quas ſua porrigeretur notitia, quam maxime commendabiles, adeo ut neque ſuperior regio, neque inferior, nec ea quæ Orientem, nec quæ Occidentem plaga ſpectaret, Ioniam hac in parte posſet æmulari. Lingua non omnes uniformi, ſed in certos diducta modos, ac proprietates, utebantur. Primam civitatum Miletum, ad Meridiem vergentem, nec non Myuntem atque Prienen, in Caria locatas, ὁμογλωσσία ſociabat: illæ vero in Lydia ſitæ, Epheſus, Colophon, Lebedus, Teos, Clazomenæ, Phocæa, à priorum loquela diſſidentes, inter ſemet ὁμόγλωσσοι erant. Cæterarum civitatum duas inſulæ, Samus videlicet ac Chius, acceperant: in continenti poſitæ erant Erythræ. Ex his Chii & Erythræi eandem ſibi locutionis proprietatem vindicavere: diſcrepantes ab his Samii propriam aliam ſermocinandi formam recepere. Atque adeo, qua tempeſtate ſcriptitabat Herodotus, duodecim Ioniæ civitates, quatuor Græcanicæ linguæ divergia diſtinxere. Initio cum contemtu nationum conflictabantur, adeoque vileſcebant, ut paſſim ac propalam deridiculo nomen Ionicum foret, ac nemo magnopere compingi cum ipſorum erratico corpore po-

ſtu-

ſtularet. At vero contemtum illum majore alio contemtu proculcantes duodecim iſtæ civitates, *illo ipſo nomine gloriabantur*, inquit Hiſtoricus, *& quum ſemel nomen ſibi Panionibus indidiſſent, fanum quoque de ſuo nomine conſtruxere Panionium: cujus nullos participes facere in animum ſibi induxere.* Idem: *Mihi ſane videntur Iones duodecim feciſſe civitates, nec voluiſſe plures admittere, propterea quod eorundem Peloponneſum habitantium totidem fuerint partes: quemadmodum nunc quoque Achæorum, qui Ionas è ſedibus ſuis exegere, duodecim ſunt partes.* Eundem de Panionio curatius differentem hîc legamus: *Panionium locus eſt Mycales ſacer, ad Septentrionem vergens, communiter ab univerſis Ionibus Neptuno Heliconio dicatus. Mycale vero promontorium eſt in continenti ſitum: quod qua Zephyro vento expoſitum eſt, ad Samum pertinet. Ad hunc montem collecti univerſi Iones ſacrificium celebrant, quod Panionia vocabant.* Cur autem ceſſamus eodem de Panionio pauxilla memorantes Strabonem, Plinium, ac Scriptorem Bibliothecæ Diodorum, exhibere? Diodorus lib. XV. *Ioniæ urbes ſolemni Panionia conventu frequentare, & opimas Neptuno victimas, antiquo ritu, ad Mycalen in ſolitario quodam loco ſacrificare conſueverant: quæ feſti Panionici ſolemnitas cum per crebra bella celebrari illic eo tempore non poſſet, in locum tutiorem Epheſo non procul, illa Comitia transtulere.* Plinius Hiſtoriæ Mundi lib. V. *In ora, quæ Trogilia appellatur, Geſſus amnis: Regio omnibus Ionibus Sacra, & ideo Panionia appellata.* Strabo Geographiæ lib. XIV. *In ora maritima illa eſt Panionium, tribus ſtadiis ſupra mare ſitum, ubi Iones ſolemnem conventum agitant, & Heliconio Neptuno ſacrificant:*

Sacri-

Sacrificio præſunt Prienenſes. Et antea lib. VIII. *Templum Neptuni Heliconii, in agro Prienenſi, venerantur etiamnum Iones, ibique Panionia ſacrificant.* Etiamnum, id eſt, Tiberio Romána frænante. Corporis hujus Panionici membra, quotienſcunque reſp. junctis expediunda conſiliis eſſet, πρεσβὲλες quæque ſuos ablegabant ad deſtinatam concilio ſedem, quæ πανιώνιον erat. Itaque compacta ſecum invicem, ac ſacrorum ſociatorum firmata nervo, magnis auctibus exſibilantium obtrectationes atque contemtum profligavere. Duarum modo civitatum incrementa vide, Mileſiæ & Epheſinæ. Miletus, coloniarum per cuncta maria genitrix, *ſeptuaginta quinque urbium populum in diverſa effudit*: ut ait, Helviam conſolaturus Seneca. Templum ſtruxit eadem capaciſſimum omnium, quæ ſol viderat: idque propter magnitudinem deſtitutum culmine manſit: quippe pagi amplitudinem delubri ambitus æquabat. Epheſus à ductore migrantium Androclo condita, totius intra Taurum Aſiæ florentiſſimum extitit emporium. Quod in ea dedicatum Dianæ templum fuerat, ætate Servii Rom. Regis populorum congreſſui, concordiæque, patebat: ut à nobis in ſuperiore libatum libro fuit. Id abolitum flammis, longe ſuperbius & auguſtius è cineribus ſuis reſurrexit, univerſa in id opus incumbente pluſquam duobus ſeculis Aſia, ac centum viginti ſeptem columnas totidem regum munificentia conſecrante. Age vero, nonnulla etiam alia ſuper Panionibus, è citatorum educta monumentis, haud indigna ducamus exhibitione. Omnes Apa-

turia festa concelebrabant Iones, exceptis Colophoniis, qui ab iis sacris arcebantur ob cædis perpetratæ religionem. Asiam quassante Persa, pessimi autores exempli Milesii, cum ipsi autorem consilii metum haberent, disjunctim soli potentiam & opes ejus adoravere, fœdusque cum eo pepigere. Quum traditum à majoribus urbium numerum perdiu persanctęque servassent, admissi tandem in Panionium Smyrnæi fuere, pervincentibus Ephesiis, quibuscum olim habitaverant, ita ut Smyrnææ nomen urbis aliquanto tempore gesserit etiam Ephesina. Postea, propter incolas ad paucitatem redactos, alii cuipiam urbium adnectere Myuntem placuit. δι' ὀλιγανδρίαν Μιλησίοις συμπεπόλισται, inquit Geographus Amasenus. Ita, licet admissi Smyrnæi forent, ad antiquum tamen duodenarium numerum res Ionica rediit. Milesiorum vero Thaletis, ac Prienensium Biantis, taceri consilia sine piaculo nequeunt. Thales commune βουλευτήριον erigendum in urbe Teo censebat, propterea quod hæc meditullium Ionicarum obtineret: *Huic uni curiæ cunctas civitates, tanquam tribus unius ejusdemque civitatis, obtemperare volebat.* At vero Bias bello attritis Ionibus, ac nihilominus ad Panionium sese recipientibus, illud identidem inculcabat, *ut classe quanta possent maxima solventes, Sardiniam peterent, & ibi civitatem unam omnium Ionum construerent.* Hoc pacto servitutem eos averruncaturos, & insularum maxima potientes, cæterarum etiam imperio potituros. *Cui consilio*, inquit Herodotus, *si morigeros sese præbuissent, omnium Græcorum felicissimis vivere licuisset.*

Caput

CAPUT IV.
Periclis Magnanima Destinatio.

PEricles,qui domi militiæque quadraginta annis Atheniensia moderatus est, ob animi robur, & eloquentiæ fulmen, ad Olympii cognomentum Jovis ascendit. Magnanimam viri destinationem aperit in ejus Vita Plutarchus. Excitavit enim Populum, autorque fuit, ut excelsos spiritus sumeret, & inusitatas sibi res arrogaret. Itaque decretum fecit, quo postulabat, ut omnes Græci nominis, ubicunque locorum ii vel in Europa, vel in Asia considerent, omnes urbes, cum potentiores, tum imbecilliores, Athenarum versus urbem legatos expedirent, ad consilia de pace ac securitate Græciæ capiunda. Deliberandum illic esse de templis incendio Barbarico consumtis: de sacrificiis, quæ pro salute Græciæ vota, nondum persoluta diis essent: de mari, quomodo id ab omnibus tuto navigari, ac Græca pax ubique gentium inconcussa stare posset: denique de consociandis imposterum cunctorum animis opibusque Græcorum. Quippe, dum singula singuli conarentur, omnibus omnes excidere. Quietem hactenus esse verius, quam concordiam: neque ita sanatas esse dissensiones, ut non sæpius eadem ad mala & remedia redeundum foret. Videre se consurgentem denuo nubem illam trucis & cruenti Barbarorum belli: videre tonantem ac fulminantem à Persia procellam. Quod si absque unius

veluti reip. conſpiratione atque conſenſu, ſuam quiſque ſpem, ſua conſilia, communibus derelictis, exſequerentur, Martem Barbaricum, citra dubitationem, Græco ſuperiorem futurum. Promovendæ deſtinationi miſſi ſunt viri viginti, ex his qui ætatis annum quinquageſimum exceſſerant: quinque, ut hortarentur Ionas, ac Dorienſes Aſiaticos, inſularumque ad Lesbum uſque & Rhodum incolas: totidem qui per Helleſpontum Thraciamque Byzantium uſque mandata deferrent: quinque in Bœotiam, Phocidem, Peloponneſum, inde per Locros, continentemque finitimam, uſque ad Acarnaniam & Ambraciam: totidem dimiſſi per Eubœam, ad Oetæ accolas, ſinum Maliacum, Pthiothas, Theſſalos. Liceat hîc uſurpare canentis illa Papinii Statii:

———— nunc primum Græcia vires
Contemplata ſuas: nunc ſparſa ac diſſona moles
In corpus vultumque coit.

Item alterius illud:

Iſta dies poterat Grajis imponere finem
Cladibus, & ſceleris cauſſas auferre futuri.

Verum in hoc nobile decretum pertinaci ſtudio incumbentibus Athenis, & Pericli, neutiquam boni event us numen affulſit. Adeo vel ſocordia, vel affectibus, obſeratæ cunctorum aures erant. Factioſa & tetro livore contaminata ingenia procaci accendebantur æmulatione, Periclique pariter & Athenis tanti gratiam gloriamque molimi-
nis

nis invidebant. Alii, queîs privata commoda dispendio publico largius procedebant, reip. malis operire domestica vulnera doctis, idem illud molimen importuna tergiversatione corrumpebant. Plurimi ex aliena libidine huc atque illuc fluctuantes agitabantur, ut eorum, qui dominarentur in unaquaque civitate, simultas aut arrogantia ferret, ita bonum malumve publicum pensitantes. Hinc tantæ spei inanis exitus illusit: & impeditissima belli Peloponnesiaci tempora sunt insecuta, quibus in viscera sua grassari Græcia, ac vincendo semet ipsam vincere cogebatur. At illius belli tempestate sedata, cautiores adversus bona pariter ac mala sua civitates haudquaquam fastidiendas ejuscemodi destinationes existimavere. Quum enim paucis Olympiadibus interjectis, novi denuo motus in Græcia gliscerent, sua sponte plurimæ seme Athéniensibus applicuere. Populus Atheniensis hac sociorum benevolentia lætus, Archonte Callia negotium calefaciente, communem omnium, quibuscum sociale fœdus icerat, Senatum instituit, in quo delecti ex unaquaque civitate consultarent. Inter omnes autem convenit, ut Athenis illæ consultationes haberentur, *& cunctis ex æquo urbibus, seu magnæ seu parvæ essent, unius suffragii jus & potestas foret: suam quæque jurisdictionem, sub Atheniensium tamen ductu, retineret.* Septuaginta civitates eo tempore coivere. Cujus coitionis assertam ab oblivione memoriam Bibliothecæ Siculi Diodori debemus. At ea quoque non pigeat hîc intueri, quibus idem ille Pericles heros, ætate sua, Pelopon-

nesiorum sordide distractas, & hinc inanes, consultationes repræsentavit. Libro primo Thucydides ita concionantem apud Athenienses suos introducit : *Quum non uno eodemque concilio utantur, omnesque par suffragii ferendi jus habeant, nihil ex tempore celeriterque peragunt. Atque etiam, cum non sint omnes unius ejusdemque gentis, unusquisque rem suam urget, suoque commodo studet : unde nihil ad finem perduci solet. Nam hi quidem nonnullos quam maxime cupiunt ulcisci : alii vero res domesticas quam minime corrumpi volunt. Cumque post longam cunctationem vix tandem in unum conveniant, exiguo tamen temporis momento de rep. consultant : majorem vero temporis partem in rebus privatis curandis ponunt. Et unusquisque remp. nihil detrimenti ex hac sua negligentia capere posse putat : sed & aliquem alium esse, qui remp. curet, eique pro se prospiciat. Atque ita, eadem omnium exsistente opinione, universam remp. perdi non animadvertere.*

Caput V.

De Asiæ & Europæ connexione, quam machinatus est Alexander Magnus.

XErxes, quum spe pertinaci imperium orbis universi præcepisset, coactis in concilium optimatibus, tanquam cœlo jam contiguus, & casibus imperaturus humanis, in hæc verba prorupit : *Terram Persidem ætheri Jovis conterminam reddemus : nullam enim regionem spectabit sol finitimam nostræ, sed ego omnem permensus Europam, una vobiscum cunctas regiones in unam redigam.* Sic enim Herodotus in Polymnia,

lymnia, seu libro VII. Hæc impotenter ille Xerxes, qui deinde verbis facta juncturus, & impotentis animi decreta patraturus, Neptuno compedes, ac flagella Nereidibus, intentavit. Eadem cunctas regiones in unam redigendi cupido, sed humano generi salubriori temperata destinatione, Magnum Macedonum agitavit Alexandrum. Sublime responsum legatis Darii Codomani reddidit: nec mundum, si duo fuerint soles, ornatum suum ordinemque tueri, nec orbem terrarum, si inter duo summa dividatur imperia, citra tumultum atque perturbationem consistere posse. Illam reip. formam, quæ tantopere laudaretur, à Stoicæ sectæ conditore Zenone traditam, Plutarchus ad hanc unam collimasse metam ait, ut nec pagatim nec oppidatim mortales habitarent, proprio sibi jure ab aliis alii disjuncti atque disgregati, sed universi populares ac cives semet invicem agnoscentes, æquabili omnes lege naturæ bonis uterentur ac fruerentur. Et hoc quidem æternitati scriptorum suorum inseruisse Zenonem, tanquam somnium aut imaginem æquabilitatis & reip. Philosophicæ adumbrantem. Alexandrum ipsa re, factisque, doctrinam eam expressisse. Neque enim patulis auribus imbibisse præceptum Stagiritæ sui, qui jubebat eum Græcis se Principem, Barbaris exhibere dominum, & illorum quidem ut amicorum & domesticorum suscipere curam, his tanquam brutis aut stirpibus uti. *Quod si fecisset*, inquit, *regnum suum bellis, exiliis, seditionibus, simultatibus implevisset. Sed ita statuens, divinitus se communem omnium nationum moderatorem atque arbi-*

trum

trum esse missum, quod verbis non poterat, armis ad communitatem adigens, omnes undique gentes in unum corpus conduxit, tanquam in amicitiæ cratera commiscens vitas, mores, nuptias, victus rationes: mandavitque, ut universi mundum pro patria agnoscerent, castra pro arce & præsidio, bonos pro cognatis, malos pro peregrinis: inter Græcum & Barbaricum non Clamyde, Pelta, Acinace, Candya distinguerent, sed Græcum Virtute, Barbaricum Vitiositate æstimarent. In hunc ille finem, quæ tam longo natura diremerat intervallo, mitibus committere victoriis ardebat: id sibi gloriosius ratus, quam nomen ipsum victoris, ac decus triumphale. Hinc ejus apud Curtium, aliosque, in ipso belli ac victoriarum æstu, plenissimæ moderationis ac cordatæ prudentiæ voces. In Asiam se venisse, non ut funditus everteret gentes, nec ut dimidiam partem terrarum solitudinem faceret, sed ut illos quoque, quos bello contudisset, victoriæ suæ non pœniteret. Non esse diuturnam possessionem, in quam gladio reges inducerentur: at communicatis utrinque beneficiis, spem concipi posse perpetuæ securitatis. Quid? crederentne tot gentes aliorum imperiis ac nominibus adsuetas, non sacris, non moribus, non commercio linguæ cohærentes, eadem dimicatione subactas esse, qua contusæ fuissent? Habendam esse Asiam, non transeundam: haberi autem unice posse reciproca morum institutorumque transfusione. Videre se, in multis ea Barbaris esse, quibus imitandis haudquaquam victor erubescere Macedo deberet. Et ut maxime viderentur erubescenda, nunquam tamen imperio tanto regundo

parem

parem Macedoniam fore, niſi, ut multa traderentur victis, ita viciſſim ab illis acciperentur. Ejuſcemodi voces primus ipſe non erubuit adæquare factis. Promotis in Parthiam caſtris barbaricum primus amictum induit, quod plurimum facere ad permulcendos hominum animos veſtitus adſimulationem ſciret. Non autem plane Medicum habitum adſcivit, barbaricum nimis & à communi abhorrentem uſu: neque anaxyridas, neque candyam, neque tiaram ſumſit: ſed medium quiddam inter Perſicam ac Medicam conſuetudinem, utriuſque permixto decore, tenuit, quod & minus quam illa ſuperbum, & hac auguſtius eſſet. Quin & habitum ſæpe ſibi circumdedit, è barbarico pariter ac Macedonico contextum. Uſus eſt autem ejuſcemodi primum veſtimento, quotiens cum Barbaris, aut domi cum amicis, in colloquia deſcendendum foret: poſtea vulgo etiam ſic incedens, ac publica promens reſponſa, ſpectabatur. Inde, ut magis atque magis indigenas alienigenaſque conflaret, ac Macedonicis Barbara moribus aptaret, triginta Perſarum millia delegit, ætate juveneſcentium, formaque & viribus eximiorum: hos magiſtris atque præfectis commiſit, & litteris imbuendos Græcis, & armis exercitandos Macedonicis. Qui cum interjecto tempore Suſa perveniſſent, progreſſuumque ſuorum, & exercitationis, Macedonicis in armis, egregium ſpecimen Regi præbuiſſent, opiparis ab eo muneribus, & blanda Epigonorum appellatione ſunt honeſtati. Id Siculus Diodorus, & Expeditionum Alexandri Scriptor

Arrianus, in hiſtorias conjecere. Ecce vero, quam ſævis cuncta præclara calumniis objiciantur. Bilem Macedonum inflammavit æquabilitas ac moderatio Regis. Vulgatione patrii moris, aut interpolatione, dedi ſeſe Barbaris, ac novo more victores ſub jugum mitti, clamitabant. Perſequendum fuiſſe belli jure Transfugam, convicium Hermolai morientis erat, apud Curtium lib. VIII. Quid deinde cœptaret certus deſtinationis Alexander? Adhibendam delenificæ Veneris invictam potentiam cenſuit. Hinc illæ voces ejus apud eundem Curtium, alioſque: ad ſtabiliendum regnum pertinere, Perſas & Macedones connubio jungi: hoc uno modo & pudorem victis, & ſuperbiam victoribus detrahi poſſe. Achillem quoque, à quo genus ipſe derivaret, captivæ captum amoribus, & ejus innexum matrimonio fuiſſe. Se quoque, ſed regno ac rebus, uxorem ducere captivam. Hoc ſacro fœdere omne diſcrimen victi & victoris excludendum eſſe. Quapropter, Arriano perhibente, proceribus auctor extitit illuſtrium Perſarum ac Medorum filias matrimonio ſibi copulandi. Nuptiarum ſolemnia partim Perſarum, partim Græcorum permiſſa conſuetudini fuere. Cunctorum autem nuptiæ junctim eodem tempore, locoque, celebrabantur: dotem ſponſabus omnibus Alexandro conferente. Quin & nomina cæterorum Macedonum, qui Aſiaticas duxerant, in tabulas redigi juſſit. Decem millia novorum maritorum numerus explevit. Floride Plutarchus, & hilaritati nuptiarum, ſimulque deſtinationis magnitudini convenienter,

ter, in Oratione posteriori, de Alexandri fortuna vel virtute: *Illam vero videre voluissem præclaram sacramque sponsalium procurationem, cum Alexander uno tentorio, quod auro fulgebat, complexus centum Persidas sponsas, totidemque Macedones & Græcos sponsos, communibus penatibus ac mensæ adhibuit eidem: cum primus ipse serto redimitus hymenæum orsus, tanquam cantilenam amoris mutui testem accinens, maximas & potentissimas gentes in communitatem conduxit, centum copulatis conjugio paribus, unius ipse sponsus, reliquis omnibus auspex simul, & pater, & moderator. Magna enim cum voluptate dixissem: O barbare & fatue Xerxa, & frustra tanto conatu pontem Hellespontium molite! Sic prudentes Reges Asiam Europæ connectunt; non linguis, non ratibus, non animæ & consensionis expertibus vinculis: sed amore legitimo, castisque nuptiis, & prolis communione gentes uniendo.* Hæc idem Chæronensis, qui dixerat in Oratione priori, Alexandri perfectum opera fuisse, ut Caucasus & Bactra Græcorum Deos adorarent. Eum LXX. urbes & amplius in Barbaris excitasse gentibus, disseminatisque per Asiam Græcanicis institutis, à fera & belluina vitæ ratione mortales abstraxisse. Lætari eos exitio suo debuisse, quia sic renati erant. Quippe perituros fuisse, nisi periissent. Cæterum peracta festivitate nuptiali, commentus est iterum aliam festivitatem, populorum affectibus adunandis, Alexander. Sacrificio magnifice perpetrato, Macedonum simul Persarumque primores ad epulas invitavit. Iis epulis excepisse novem convivarum millia, proditum est memoriæ, eosque omnes invitante Rege ex eodem cratere libavisse,

visse, Græcorum vatibus, ac Persarum Magis, tum alia fausta vota præeuntibus, tum hoc imprimis, ut ea utriusque imperii in idem corpus coalita societas perpetua foret. Hæc Arrianus in septimo. Diodorus autem, in xviii. Bibliothecæ, repertorum ab excessu Regis Commentariorum meminit, in queîs præcipua destinationum regia manus præscripserat. In iis hoc maxime memorabile caput extabat: *Ut civium in urbes novas commigratio, & hominum ex Asia in Europam, & rursum ex Europa in Asiam translatio fieret: utque concordia mutua & cognationis amicitia, per connubia & necessitudines, continentes orbis maximas devinciret.* Quin imo, paullo ante quam mortalis esse desineret, hæc plena gloriæ verba, Curtio prodente, profuderat: *Asiæ & Europæ unum atque idem regnum est: inveteravi peregrinam novitatem: omnia eundem ducunt colorem.* Ne vero pigeat hîc identidem conspicere heroice de tanto declamantem heroe Plutarchum. In Oratione priori: *Omnes homines in unum populum conducere cupiens, hoc modo sese composuit. Ac nisi tam celeriter genius, qui animam Alexandri huc demiserat, eandem ad se revocasset, una utique lex omnibus hominibus proposita fuisset, mortalesque universi ad unicum jus tanquam communem lucem respexissent. Nunc ea pars terræ quasi Solis radiorum expers mansit, quæ Alexandrum non vidit.* At, sicuti mortales immensa sententiarum varietas exercet, abit in diversissimam Poëta Cordubensis, ubique nimius Alexandreæ magnitudinis obtrectator. In decimo Pharsaliæ:

Illic Pellæi proles vesana Philippi
Felix prædo jacet, terrarum vindice fato

Raptus

Raptus: ſacratis totum ſpargenda per orbem
Membra viri poſuere adytis: Fortuna pepercit
Manibus, & regni duravit ad ultima fatum.
Nam ſibi libertas unquam ſi redderet orbem,
Ludibrio ſervatus erat, non utile mundo
Editus exemplum, terras tot poſſe ſub uno
Eſſe viro. Macedum fines, latebraſque ſuorum
Deſeruit, victaſque patri deſpexit Athenas:
Perque Aſiæ populos fatis urgentibus actus
Humana cum ſtrage ruit, gladiumque per omnes
Exegit gentes: ignotos miſcuit amnes
Perſarum Euphraten, Indorum ſanguine Gangen:
Terrarum fatale malum, fulmenque, quod omnes
Percuteret pariter populos, & ſidus iniquum
Gentibus. Oceano claſſes inferre parabat
Exteriore mari. Non illi flamma, nec undæ,
Nec ſterilis Libye, nec Syrticus obſtitit Ammon.
Iſſet in occaſus, mundi devexa ſecutus,
Ambiſſetque polos, Nilumque à fonte bibiſſet:
Occurrit ſuprema dies, naturaque ſolùm
Hunc potuit finem veſano ponere Regi.

Caput VI.

Ortus, & incrementa, corporis Achæorum.

Quum à multo tempore complures perſuadere Peloponneſiis enixa fuiſſent opera conati, ut votis, opibus, atque conſiliis adunatis, firmiores adverſus caſus ac diſcrimina ſtarent, haud tamen quiſquam exitum operæ reſpondentem reperire potuerat: propterea quod non ſtudio vallandæ propugnandæque libertatis, ſed ad ſtabiliendam quiſque ſuam dominationem id negotii cœptaſſent. Atticorum Periclem produximus antea, dividua Pelopon-

ponnesi consilia producentem. At vero qua tempestate nobilissimus Achæorum & Civis & Historicus Polybius ævum agitabat, tale tantumque ea res incrementum cepit, vel potius adeo perfecta fuit, ut non solum ad amicitiam sociali fœdere connectendam Peloponnesii coirent: *Verum etiam legibus, ponderibus, mensuris, pecunia denique uterentur eadem: ad hæc Magistratibus, Senatoribus, Judiciis iisdem: atque uno verbo, quo minus universa propemodum Peloponnesus pro urbe unica posset censeri, id obstaret unum, quod non eorundem ambitu mœnium omnes ejus incolæ caperentur: cætera apud illos & in commune & per singulas urbes similia erant atque eadem.* Ipsum nomen Achæorum, qua ratione de cunctis cœperit usurpari Peloponnesiis, haud absurdum fuerit indicare. Ad quos enim à majoribus suis ea transmissa fuerat appellatio, ii nec urbium numero, nec opibus, nec eximia ulla virorum præstantia cæteros ullo modo præcedebant. Nam Arcadum sane natio, & Lacedæmoniorum quoque, qua frequentia mortalium, qua ditionis magnitudine, longo Achæos intervallo superabant. Sed ne fortitudinis quidem gloria illi, quos diximus, cuiquam ex omni Græcia nationi concedebant. Quî factum est igitur, quamve ob caussam, ut & Achæi, & qui in illorum Reip. nominisque communionem coaluere, cæteri Poloponnesii, adeo secunda deinceps illustrique fama fulgerent? Hæc fuit, historia teste, caussa. Non erat invenire mortalium ullam societatem, in qua juris æquabilitas, statusque vere popularis, ac plena sinceritatis instituta florentius vigerent, quam

quam apud Achæos. Hæc reip. facies ultro à multis adamata Peloponnesiis est: multi rationibus & eloquentia, ut illa uterentur, illecti fuere: ad quosdam cum per occasionem vis esset adhibita, statim impetratum, ut in eo propriis pacatisque voluntatibus acquiescerent, quod initio coacti probaverant. *Nam quia nullum*, inquit Polybius, *iis reservabatur privilegium, qui ab initio eam condiderant, sed ut quisque assumebatur, eodem penitus jure cum cæteris esse incipiebat, perquam facile res hæc publica, duobus illis usa quæ plurimum possunt, æqualitate juris, & comitate, voti sui compos est facta.* Hæc ergo princeps ac certissima caussa existimari debet ejus concordiæ, qua semel inita, ad tantum Græcanicæ cacumen magnitudinis evecti Poloponnesii fuere. Quod autem institutorum comitas, & publicarum præclara temperatio rerum, jam olim penes Achæos fuissent, multis quidem ætate Polybiana testimoniis liquebat: verum ex omnibus unum aut alterum liquidissimum erat. Quo tempore in illa parte Italiæ, quam Magnam Græciam vocabant, Pythagoreorum collegia sunt incensa, motu rerum, sicuti par erat, in civitatibus oborto, quarum singulæ proceres suos adeo inopinato casu desiderabant, evenit, ut quæ essent in illa ora Græcæ originis urbes, omnifariam tumultu, seditione, cæde complecterentur. Tum igitur, quum plerique Græcorum legatos suos ad conciliandam pacem eo misissent, unius tamen Achaici populi fide ac consiliis usæ sunt civitates, ad componenda, quibus urgebantur, mala. Neque vero ea duntaxat tempestate Achaicorum

ad-

admirationem inſtitutorum declaravere, ſed etiam aliquanto poſt, concurrentibus cordatiorum ſententiis, illorum reip. formam imitari decrevere. Hortatique ſemet invicem Crotoniatæ, Sybaritæ, Cauloniatæ, unanimes ædem *Jovi Homorio* poſuere, & locum in eo ad conventus agendos, ac concilia trium civitatum habenda, deſignavere. Mox Achæorum mores ac leges addidicere, paullatimque in rei ſuæ publicæ adminiſtrationem invexere. Nam quod poſtea mutavere, ingratiis ipſorum, ac neceſſitatis adigente duritie, factum: cum deſtinationis pertexendæ facultatem ipſis adimeret partim Dionyſii Syracuſani dominatus, partim circumjacentium prævalida potentia populorum. Poſt hæc, quum inopinatam apud Leuctra cladem Lacedæmonius accepiſſet, ac Thebanus, quod nemo unquam ſperaverat, Græciæ principatum ſibi vindicaret: tum omnem in univerſum Græciam, tum imprimis Lacedæmonem ac Thebas ingens affecit perturbatio. Hæ namque, quod res erat, pro victricibus ſeſe ferre: illa etiam atque etiam infitiari, has abſolutam ac ſine exceptione victoriam reportaſſe. Contentionis arbitrium utrique permiſere ſolis ex omni Græcorum copia Achæis: non quidem habita potentiæ ratione (nam illis certe temporibus hi minimum inter Græcos poterant) ſed fidei potius atque probitatis, qua cunctis in rebus eximia noſcitabantur. Omnes enim per illa tempora, in hac de Achæis opinione, ſine controverſia conſentiebant. Ad vetuſtiſſima ſecula quod attinet, Achæorum gentis ejuſcemodi ſtatus fuit.

fuit. Tiſamenes Oreſtis filius, reducibus Heraclidis ejectus Lacedæmone, obtinuit Achajam, primuſque Rex ejus populi fuit. Duravit inſtitutum ab eo regnum, continua ſtirpis ejuſdem ſerie propagatum, ad Gygem uſque: *Cujus poſtea Filios averſati,* inquit Hiſtoricus, *quoniam non pro legitimo Rege, ſed pro Hero inter illos ſe gerebat, priorem Reip. ſuæ ſtatum in popularem transformavere.* Neque deſierunt inſecutis deinde temporibus, ad dominatum uſque Philippi & Alexandri Macedonum, quanquam temporum ac rerum vices experirentur, at ſtatum tamen reip. populari commiſſum formæ tueri atque retinere. Democratiam iſtam, numerante Pauſania, duodecim compages urbium coluit. Ecce nomina: Dyme, Olenos, Pharæ, Tritæa, Rhipes, Thaſium, Cecyrina, Bura, Helice, Ægium, Ægira, Pellene. Hæ partim urbes, partim urbeculæ, quaſi cunabula quædam pollentiſſimi poſtea corporis extitere. Cunabula, inquam, extitere, donec ipſis propitia fata parem conſiliis ducem indulſere. Nam voluntas quidem, & conſilia ſolum recta, penes ipſos erant: effectum aliquem, aut memorabile ullum facinus, ad res ſuas amplificandas, edere non valebant. Simul ac aliquis erectioris ſpecimen indolis dediſſet, ilico vel Lacedæmoniorum principatus, vel Macedonum regia (& quidem hæc potiſſimum) luminibus ejus obſtruebat, ac molimentis intercedebat. Poſteaquam vero tandem rerum temporumque callidiſſimus Aratus emerſit, brevi patuit, quantum in ea parvula compage virium ac roboris eſſet: edito facinore longe pul-

cherrimo, concordiam dico Peloponnesiorum. Scriptor Vitarum Parallelarum: *Nihil quidquam magis amabat Aratus, quam concordiam populorum, communionem civitatum, concilιumque, & theatrum unam edens vocem.* Idem perleganti rem expressit imagine: *Existimabat Aratus, urbes singulatim imbecilles mutuo servari, tanquam illigatas commodo publico: Ac quemadmodum membra corporis idcirco vivunt atque conspirant, quod invicem agnata sibimet hærent: si quod eorum avellatur, & à cæteris separetur, non alitur amplius, sed tabescit: ita urbes censebat ab iis, quæ remp. divellerent, perdi, augeri autem aliam ab alia, & omnes mutuo, cum veluti magni alicujus corporis partes communem haberent procurationem.* Aliam insuper ejusdem artificis contemplari similitudinem juvet: *Achæorum res Aratus primus omnium ad dignitatem & potentiam evexit. Velut in aqua ubi primum exigua quædam & non multa corpora subsidère, statim quæ deinde ad ea quæ primo inhæsere defluunt, ipsa quoque una figuntur, solidumque ea ratione mutuo aggerem constituunt: ita, quum Græcia eo tempore imbecillis ac dissolutu facilis esset, urbibus coalescentibus, primo quidem in unum coiverant Achæi: post ii urbes circumsitas partim auxilia ferendo, easque in ejiciendis tyrannis adjuvando, partim concordia & reip. societate sibi conjungendo, totam Peloponnesum in unum corpus, unicumque imperium, conflare cogitabant.* Affectum magnitudinemque civis sui sensit omnium prima Sicyon: hanc ille patriam urbem, depulso cervicibus incumbente tyranno, corpori ac libertati Achæorum intexuit. Inde nonnullos è præsidio, quod in Acrocorintho Rex Antigonus alebat, pollicitationibus ad arcem

prodendam pellexit: ac mox prodita, gravi anxietate Peloponnesios exoneravit: Corinthiis vero facile persuasit, ut & ipsi Achæis sese paterentur intexi: clavesque portarum reddidit, tum primum à Philippi ætate in eorum potestatem revertentes. Mox etiam Megarenses, astu subductos Antigoni jugo, sibi Achæisque conjunxit: & Troezenii, una cum Epidauriis, ad eorundem Remp. semet aggregavere. Tunc expeditionem in Atticam fecit Aratus, & trajectis in Salamina militibus, ex insula prædam egit: Achæorum viribus, tanquam è carcere productis, ad omnia magna & excelsa deinceps usurus. Athenienses captivos, nullo redemtionis accepto pretio, dimisit, ad Achæos semet aggregandi suppeditaturus occasionem. Fato deinde functis Antigono Demetrioque, transitus rerum, ac potentiorum funera principum, opportuna magnis conatibus esse, præclare compertum Achaico systemati fuit. Quotquot enim Peloponnesiorum patientiæ tyranni insultabant, omni spe retinendi dominatus excidere, partim ob Demetrii fatum, qui suis illos opibus ac mercedem pensitando sustentabat, partim ob imminentem iniquis ipsorum temporibus Aratum, qui poni tyrannides volebat, ac sua sponte ponentibus insignia præmia & honores magnificos ostentabat, renitentibus minas adhuc majores intentabat, & atrocia pericula denuntiabat. Itaque consilium cepere, tyrannide sponte exuta, patriam quisque suam liberandi, & Reip. Achæorum participandi. Quanquam Megalopolitanorum Lysiades, adhuc super-

ſtite Demetrio, ſolerter utique prævidens quod futurum erat, inauſpicatæ tyrannidi popularitatem Achaicam ante tulerit. Is tempeſtivæ ſolertiæ præmium, Achaici Præturam corporis eſt adeptus. At Hermionenſium Xenon, Phliaſiorum Cleonymus, abdicato ſingulari dominatu, quo diximus tempore, ſe ac ſuos Achæorum corpori inſeruere. Cunctabatur ac reſtitabat Argivorum Ariſtomachus. Aratus, ut educatrix civitas bono ſeculi quamprimum frueretur, interficere per inſidias tyrannum tentaverat: eo tentamine irrito, miſſis internuntiis etiam atque etiam hortatus eſt, ut libertati reſtitueret Argivos, & urbem Achæis applicaret, exemploque Lyſiadis mallet tantæ gentis cum laude ac ſecuritate dux, quam unius urbis inviſus & periculis expoſitus eſſe tyrannus. Obtemperavit Ariſtomachus: in Achaicæ conſortionem Reip. recepti ſunt Argivi (μεταχόντες, inquit Strabo, τοῦ τῶν Ἀχαιῶν συστήματος) & annus inſecutus Prætorem Ariſtomachum vidit, excuſantem popularis Reip. præſtante cura, quidquid inclementius antea tyrannus fecerat. Inter hæc Arcades etiam alacriter ſemet Achæis applicuere. Συνεδρίου τῶν Ἀχαιῶν, inquit Pauſanias, μετέχον οἱ Ἀρκάδες προθυμότατα Ἑλλήνων. Quin etiam haud paucos extra Iſthmum poſitos Achæorum ſecundi progreſſus in Concilium accivere, cum eos indies uti pollentiore fortuna viderent. Ita ſpem ipſe ſuam vicit Aratus, ac diſtractiſſimos odiis & regimine populos conjunxit ac conglutinavit. Eo mortalibus exemto, rebus Lacedæmone turbatis, ſitientiſſimus occaſionis

ſionis Philopœmen cum copiis accucurrit, Spartaniſque partim reluctabundis, partim in ſuam adductis ſententiam, urbem occupavit, & in Achæorum Remp. inſeruit. Id vero facinus mirifice gloriam ejus apud Achæos illuſtravit, quibus tantæ auctoritatis atque potentiæ urbem adjeciſſet: neque enim hercule parum erat, Achajæ partem Lacedæmona fieri. Cæterum in univerſum & initia & incrementa corporis Achaici ſpectaturienti tres heroes, illuſtres animæ, repræſentabuntur. Nam dux quidem & auctor incepti tam generoſi Sicyonius Aratus extitit: promovit autem illud ac conſummavit Megapolitanus Philopœmen, confirmavit denique, & ut in poſterum aliquamdiu ſaltem res duraret, pater Polybii Lycortas effecit. Idea Politicæ ſagacitatis Aratus, ad Mavortia certamina ſegnior, aſtu, colloquiis, manſuetudine, comminationibus atque promiſſis, pleraque perfecit. At Philopœmen egregius bellator, & armis efficax, neque non ſuis conatibus applaudentem fortunam ſentiens, primis ſtatim prœliis Achæorum & potentiam auxit, & animos: cum eos jam ſecum vincere, & è pleriſque certaminibus ſuperiores diſcedere condocefeciſſet. Lycortas mediam inter utrumque viam tenuit. Herois Arati cadaver Ægio, ubi ſupremum diem clauſerat, ad Sicyonios deportatum, inibique ſepultum magnifice fuit: *& hac ipſa etiam ætate*, inquit Pauſanias, *heroicum ejus monimentum Arateum nuncupant.*

Caput VII.

Strategus, seu Prætor, & Concilium, Achæorum.

DEliberantibus Tarquiniorum exactoribus de formando, qui staret imposterum, reip. Romanæ statu, Bruti vox illa fuit, autore Dionysio Halicarnasseo, *optimum esse, regiæ gubernationis bonis frui, & malorum, quæ illam comitantur, immunes esse.* Reges, dum aguntur publica, suum præcipue negotium agi rentur, & ad suum cuncta decus atque magnitudinem trahunt. At in plurimum imperio plerumque unusquisque putat, aliquem alium proximum caussam publicam suscepturum, ac simul omnes periculum, si quod ingruit, haud difficulter subituros: se vero remissius agentem nihilominus ejus boni, quodcunque ex aliena provenerit audacia, parte potiturum. Ita singulorum incuria securitatem affligit universorum. Videntur, quod orator Lucius Philippus, apud Sallustium, dictitabat, intenta mala quasi flumen optare se quisque ne attingant, sed prohibere vix ac ne vix quidem conari. Agathiæ locus, è libro quarto, non indecenter huc advocabitur: *Nunc vero quod celebriore aliquo Præfecto essent destituti, quique potestate prudentiaque excelleret, sed omnes propemodum essent pares, & mutua consilia improbando, contrariaque mandando certarent, & qualia quisque dixisset, talia audiret, imperfectæ eorum actiones, neque admodum dignæ laude fuerunt. Quum enim in diversas essent sententias secti, atque alii quidem hanc, alii aliam quandam probarent,* nihil

nihil eorum quæ consulebantur peragebatur : sed unusquisque ægre ferens suam sententiam non valuisse, negligentius segniusque ad rem gerendam accedebat. Quamobrem Achæi, quanquam regium nomen aversati, regiæ bona gubernationis amplexanda nihilominus esse censuerunt. Præluſtre unius in rep. decus, & eminentem auctoritatem, sed certi temporis arctatam angustia, probavere. Ac principio quidem Στρατηγοὺς (Prætores Livius interpretatur) in orbem constituere duos. At vix quinque vel sex Olympiadibus elapsis, unicum duntaxat eligere Prætorem placuit. Is in pace Gubernatoris munere fungebatur, in bello Ducis, tanquam in sinu Palladis ipsius educatus alumnus: hanc enim & Polemicam simul & Politicam Deam Græcia colebat. Magnifice consilium Prætoris eligendi Plutarchus extollit: *Achæi maxime demonstrarunt, Græcorum vires inexpugnabiles esse, quotiens unanimi ordine ii componantur, & cordatum habeant Ducem. Quippe cum ne minima quidem essent portio ejus quod olim in Græcia viguit roboris, & viribus suis omnibus in unum collatis unius alicujus præcipuæ urbis potentiam haud æquarent, consilio tamen, & concordia, & quia norant virtute præstantissimo absque invidia obtemperare, non modo suam libertatem in medio tot urbium, tam potentium civitatum atque tyrannorum, tutati sunt, sed & reliquorum Græcorum plurimos in libertatem asseruerunt.* Potestas non anni modo circumscripta curriculo, sed & frænatricibus illigata legibus erat. In bello tamen, quod ratio suadebat, ac necessitates postulabant, ea multo liberiore atque solutiore Prætor utebatur. Et à potissima parte functio-

ctionis, ductatione videlicet exercituum, Strategi nomen ipsi Grajorum loquela fecit. Ob merita vero, præcelsamque virtutem, sæpius iidem Præturam heroes honestabant. Octavus ei Philopoemen admotus est: at è vita decimum septimum Prætor Aratus abiit. Ejus enim tanta gratia & admiratio fuit, ut, quandoquidem quotannis haud liceret, *alternis* saltem annis ei potestas Prætoria deferretur. *Videbant enim*, inquit idem in ejus Vita Plutarchus, *eum non divitias, non gloriam, non amicitiam regum, non suæ seorsim patriæ Sicyonis commodum, non denique quidquam aliud Achæorum universorum incrementis antiquius habere.* Prætoris, ac Demiurgorum erat, indicere κοινοβούλιον sive Concilium gentis. Bis annuatim stato sive legitimo tempore coibant, verno nimirum & autumnali: extra ordinem vero convolabant, quotiens id casus ac tempora, Prætoris & Demiurgorum judicio, flagitarent. Coëuntes urbs Ægium accipiebat, Achaicarum veterum dignatione populique frequentia princeps, postquam Helice terræ motu convulsa, diluvieque maris absorpta, ad hanc in propinquo sitam fortuna ejus opesque transivere. Ænarium inibi sacer Jovi lucus, hoc cœnobulium capiebat: ut indicatur in octavo Strabonis. Sed & Sicyon, Argi, Megalopolis, aliæque, convolantes accepere, si id ex usu temporum ac Reip. Prætori videretur. Ac Philopoemen quidem, æquando cunctarum decori, morem hunc in Ægiensium urbe conveniendi labefactare penitus, ac legem procudere paraverat, edente Livio, *ut in omnibus civitatibus, quæ Achaici concilii*

essent,

essent, inVicem conVentus agerentur. Achaicarum summa rerum penes hoc concilium erat: illic bella, pax, fœdera, leges in suffragia mittebantur: illic gentium atque legationum externarum desideria, vel adimplenda, vel refutanda proponebantur: illic item legationes obeundæ decernebantur, & iis injungenda mandata perscribebantur. In suæ rebus ætatis adnotatum Polybio reperimus, auxiliares copias Ægypto flagitante, & Callicrate quodam fluctus inter Achæos excitante, ad Concilium non Magistratus solummodo confluxisse, verum etiam *omnes annis* xxx. *majores.* Sed hoc ille, tanquam à recepta consuetudine longiuscule digressum, ac tempori datum, adnotavit. Ad Prætorem, & ejus adsessores Δημιουργούς, ut indicendi, sic moderandi quoque cura Concilii pertinebat. Hi nempe, numero decem, circa Plejadum exortum, in legitimorum Conciliorum primo, deligebantur ex universo corpore, prudentia fideque nobiles, & actu rerum exercitati. Cum his eodem delectus tempore Prætor tractanda in Concilio negotia prætractabat. Hi Consiliarii Status erant, ut recentiora loqui sæcula cœpere.

CAPUT VIII.

Leges aliquot insigniores Achæorum.

OCto Leges, illustri multarum urbium combinatione dignissimas, è scriptoribus Achaica libantibus eruamus. Prima Lex: *Ne Prætori ac Demiurgis indicere Concilium*

lium fas esto, antequam scripto comprehensa mandata promantur de iis rebus, quarum caussa postulatum est Concilium. Ambages & prolatationes, ne concilia sererentur ex conciliis, hac Lege resectum ibant, quum multorum regimen plus satis per semet ipsum tardigradum animadvertissent. Ideo mandatis ac matura meditatione præcipientem, quod communiter expediundum foret, exire sua quemque civitate volebant. Et hac quidem Lege bilem illi potentiorum, ut fit, inflammavere. Nam Q. Cæcilius, ut Concilium gentis Achaicæ sibi daretur, expoposcit: tum vero Demiurgi vicissim ab eo poposcere, consignata scriptis uti mandata produceret, quæ à Senatu forsan accepisset: heîc ipso tergiversante, negare illi se *Concilium multitudinis* convocaturos: neque enim per Legem id licere. In iram Cæcilius exarsit, & acerbissime repulsam ad Senatum detulit: at fortiter eum retudere, quos Demiurgi illuc ad retundendas calumnias allegaverant. Et quanquam ostenderat Senatus, curæ ipsis esse debere, ut Romanis legatis semper adeundi Concilium gentis potestas fieret, quemadmodum & ipsis, quotiens vellent, Senatus daretur: Achæi tamen instituto majorum pertinaciter inhæsere. Namque non multo post tempore Titus Flaminius ad Prætorem ac Demiurgos litteras dedit, in concilium cogi multitudinem poscentes. Rescriptum est, factum iri quod posceret, si per litteras edidisset, qua de re agere cum Populo vellet: ita enim Legem imperare Demiurgis. Tito subverente scribere quid vellet, in irritum ista postulatio ceci-

cecidit. Secunda Lex : *Ne quidquam refertor ad gentis Concilium præter ea, ob quæ Concilium fuerit indictum.* Hac lege nonnunquam frænum regiis cupiditatibus injecere. Coiverat Argis deliberabundum de Nabide tyranno concilium, qui bellum redintegraverat, agrosque finitimorum populabatur, & jam urbibus quoque terribilis erat. Consultantibus, adversus hunc quantum è quaque civitate militum conscriberetur, inopinato Rex Macedoniæ supervenit, ac subitaria regiæ præsentia magnitudinis extorturum se concilio putavit, ut bello insuper alii, sed minime necessario gentem illigaret. Et id quidem coarguere Cycliades Prætor nihil attinere ratus, id modo cum dixisset, non licere per leges Achæorum de aliis referre rebus, quam propter quas essent convocati, decreto de exercitu parando adversus Nabidem facto, concilium libere ac fortiter habitum dimisit, tam pulchram ante diem à plerisque regios inter assentatores habitus. Tertia : *Qui sententias dixerint, eas breviter in scriptum relatas postridie rursum examinandas Concilio proponunto.* Hac populariurn judiciorum præcipitantiam castigabant. Quarta : *Ne ultra paucissimorum dierum limitem extenditor actio.* Hac vel imprimis testudineum popularis concilii gradum increpabant temporimodum, impendiisque, facientes, ac simul ansam protervitati contentionum prædicentes. Quinta : *A decreto rite facto recedere nefas esto.* Decretum rite factum, id est, suffragiis Concilii sancitum, stelis sive cippis incidebatur, ac loco sacro, tanquam durationis ac perpetuitatis pigno-

re, figebatur. In tanta judiciorum multitudine, publicæ mentis inconſtantiam atque volubilitatem reformidabant. Sexta: *Ne Populus aut Civitas ulla ſui omnino juris eſto.* πόλεις, inquit Pauſanias, ὅσαι τελοῦσιν ἐς Ἀχαιοὺς, μηδεμίαν ἐφ᾽ ἑαυτῆς καθεστηκέναι κυρίαν, ἄνευ τοῦ κοινοῦ τῶν Ἀχαιῶν. Et hinc profiliens egregia Septima: *Ne Populus aut Civitas ulla, ſeorſim ab univerſo corpore, legatos mittendi facultatem habeto.* Hæ duæ compagem corporis egregie ſolidabant. Certiſſimum ſolidatæ tutamen compagis extitit Octava: *Ne quis ſive Privatus, ſive in Magiſtratu conſtitutus, à Regibus dona, quacunque tandem ex cauſſa, capito.*

Caput IX.

Difficultates aliquot inſigniores, quæ Remp. Achæorum exercuere.

DYmæi, Pharæenſes, Tritæenſes, imminente cervicibus hoſte, celeres ad Prætorem nuntios miſerant, ut & illum de eo, quod acciderat, certiorem facerent, & ſimul ſuppetias ſibi ferri, qualibet abrupta mora, poſtularent. Prætor vero, quem is annus habebat, neque mercenarium conſcribere militem poterat, quod nuper extincti tempore belli pars ſtipendiorum conductitio militi perſoluta non eſſet: & omnino in univerſis incœptis, cumprimis vero bellicis, admodum ſegnem ſeſe cunctatorem-

toremque præbebat. Hinc Dymæi, Pharæenses ac Tritæenses, spe auxiliorum à Prætore mittendorum vanescènte, suadentibus ira ac desperatione, magnis auctoribus, decrevere nihil amplius Achæis in commune contribuere, sed suo separatim auspicio milites conducere, quorum præsidio fines tutarentur. Extat Polybii, super ea differentis distractione, nervosum judicium Histor. IV. *Suis illi quidem privatis commodis non male existimati sunt consuluisse: publicæ vero utilitati omnium Achæorum pessime. Cupientibus enim gentis corpus dissipare, mali consilii & occasionis duces atque auctores se præbuisse sunt crediti. Hujus autem admissi culpam maximam jure aliquis in Prætorem conjiciat per negligentiam & cunctationem eorum spes semper frustrari solitum, quibus esset opu auxilio. Nempe ita fieri semper amat: qui in periculo versatur, quamdiu spes superest opis ab amicis & sociis impetrandæ, in ea acquiescit: ubi vero cum adversis conflictatus spem illam amiserit, tunc ipsemet sibi pro viribus subvenire cogitur. Quamobrem Tritæensibus, Pharæensibus & Dymæis, quod privatim militem conduxerint, cessante Achæorum Prætore & eo nomine succensendum non est: At quod erogare in commune quiddam recusarunt, id vero facinus indignum haberi debet. Oportebat enim neque propria prætermittere commoda, & postquam data ipsis est opportunitas atque facultas, communia Reip. jura servare: Quum præsertim per communes Leges recepturi omnino essent quod contulissent: &, quod maximum est, auctores ipsi Corporis ac Concilii Achæorum instituendi extitissent.* Aliud ab urbe Messenia turbamentum. Dinocrates, qui privatas cum Prætore simultates

exercebat, malo publico facundus, ad disjunctionem Messenios suos exstimulaverat. Ultrix à tergo, quod obverterant Achaico concilio, væcordiam insecuta pœna fuit. Quassati cladibus, attritique miseriis, ad aram Achaicæ clementiæ confugiendum censuere. Et Lycortas quidem universis per quos factum fuerat, ut captus cogeretur epotare venenum Prætor, ut ipsi semet educerent è vivis, imperavit. Ipsa vero Messene, quanquam abunde merita videretur, *ut, quorum dedignata consortionem fuerat, eorundem ferre dominatum disceret*, magnanimitate tamen ejusdem Lycortæ & Achæorum, recepta in gratiam, ac restituta Concilio fuit. Attamen hanc per occasionem *Abia atque Thuria* (sic idem in Excerptis Legationibus Polybius) *à Messeniis divulsæ, ac propria stela erecta, Concilii Achæorum singulæ participes sunt factæ.* Alius à Spartanis agitavit Achaica turbo. Capta Lacedæmone Lycurgi leges, à Nabide tyranno jam ante convulsas atque luxatas, exscindi jusserant Achæi, puerisque & puberibus Achaicam pro patria disciplinam præscripserant: existimantes, quamdiu Lycurgi legibus uteretur, nunquam Lacedæmona spiritus præsenti majores fortuna, posituram. Mox hæc ademtam tot seculorum disciplinam indignari, facinus id inhumanum, ac diram denique crudelitatem clamitare, postremo Romanæ magnitudinis opem respicere. Quam enixe cumprimis exules advocabant, è patria, ne compositam turbarent, ab Achæis eliminati. Sed Lycortas in cordatissima, quam Prætor ad Appium Claudium habuit, ora-

oratione, sic pro rectitudine consiliorum Achaicorum pugnat, apud Livium libro XXXIX. *Quod ad leges ademtas attinet, ego antiquas Lacedæmoniis leges tyrannos ademisse arbitror: nos non suas ademisse, quas non habebant, sed nostras leges dedisse: Nec male consuluisse civitati, cum Concilii eam nostri fecerimus, & nobis miscuerimus, ut Corpus unum & Concilium totius Peloponnesi esset. Tunc opinor, si aliis ipsi legibus viveremus, alias istis injunxissemus, queri se iniquo jure esse, & indignari possent.* In eadem: *Oro vos, quantumlibet intersit inter Romanos & Achæos, modo ne in æquo hostes vestri nostrique apud vos sint, ac nos socii: imo ne meliore jure sint. Nam ut in æquo essent, nos fecimus, cum Leges iis nostras dedimus, cum, ut Achæi Concilii essent, effecimus. Parum est victis, quod victoribus satis est: plus postulant hostes quam socii habent. Quæ jurejurando, quæ monumentis litterarum in lapide insculptis, in æternam memoriam sancta atque sacrata sunt, ea cum perjurio nostro tollere parant. Veremur quidem vos, Romani, & si ita vultis, etiam timemus: sed plus & veremur & timemus Deos immortales.* Cum assensu maximæ partis est auditus, & locutum omnes pro dignitate & amplitudine Præturæ censebant: *Cum satis appareret, molliter agendo cum Romanis, majestatem Reip. teneri nequaquam posse.* At exemplorum repetita memoria domesticorum Lacedæmonis emitigare dolorem poterat: quippe perspicere licebat ex Historiæ Thucydydeæ primo, Lacedæmonas antiquiores, adjunctis sibi sociis, id egisse vehementer, ὅπως σφίσιν αὐτοῖς ἐπιτηδείως πολιτεύσωσι. *Ut reip. administratione uterentur ad suum morem accommodata.*

CAPUT

Caput X.

Insidiæ Regum, quas Achaico Corpori tetendere.

Reges natura neminem vel hostem vel amicum ducere, verum è suis semper utilitatibus amicitias & inimicitias æstimare, Achæi Polybii effatum est in Historiarum secundo. Id *rationem status* nonnullæ posteriorum temporum regiæ vocavere. Sed & Apollonii Achæi extat illud apud eundem, in Excerptis Legationibus, regum & liberarum civitatum res inter se natura sua pugnare. Achæorum populare liberumque regimen, à suo diversissimum, ægerrimis oculis vicini Reges intuebantur. Utilitatis suæ, rationisque status interesse putavere, illud qua vi, qua dolis, oppugnatum atque laceratum ire. Vis adversus unitas civitates, & hinc prævalidas, admodum dubia, sollicitique res plena timoris, esse videbatur. Dolis igitur, & astutia, grassandum erat. Pauca contemplari technarum specimina lubeat. Quo tempore nondum ad summa res Achaica pervenerat, mediis inter excessum Alexandri & Olympiadem CXXIV. labentibus annis, tanta eam intemperies atque vesania vexavit, & quidem cuniculos agente Macedonum regia, ut urbium nexu resoluto, contrariis consiliis sibi pleræque privatim consulerent. Is autem exitus privatim sibi consulendi fuit, ut Demetrius & Cassander, ac postea Gonatas Antigonus, urbium nonnullis præsidia volentibus imponerent, aliæ circum-

cumvenirentur à tyrannionibus minutis, quorum numerus, inter Græcos, ea tempeſtate indies auctior exiſtebat: Gonata multitudinem ipſorum inter arcana dominationis habente. At vero circa dictam Olympiadem, quo tempore Tarento ſubventurus trajecit in Italiam Pyrrhus, animos fodicante pœnitentia, reconcinnare divulſa laboravere. Strabo: *Quum communionem eorum Macedones diſſolviſſent, paullatim ſeſe recollegerunt. Initium fecere quatuor adhuc cohærentes urbes, è quibus fuere Dyme & Patræ: tum alias nonnullas de duodecim iſtis urbibus ad ſe receperunt.* Poſtea Rex Eumenes inſidias talentis, ac liberalitati, commiſit. Quum conventus Megalopoli celebraretur, eo legatos miſerat, c x x. talenta ſe donaturum pollicens Achæis, ut fœnore legitimo occupata ea ſumma, è reditibus alerentur, qui in concilio de Rep. conſultabundi coirent. Ingreſſi legati ſocietatem, quæ patri Regis inita cum Achaja fuerat, inſtaurandam integrandamque propoſuere: mox de pecunia pollicitationem regiam oſtentavere. At, quum facunde præcellentem comitatem atque benevolentiam Principis erga corpus Achaicum extuliſſent, & è concilio diſceſſiſſent, conſurrexit is, quem Sicyon ad conventum miſerat, Apollonius, ac eluſurus inſidias, hamatam Regis munificentiam oratione generoſa caſtigavit. Eum, in Excerptis ex Hiſtorico Megalopolitano Legationibus, ita legere diſſerentem licet: *Pecunia, quæ dono nobis offertur, ſi ſpectetur illius magnitudo, digna quidem Achæis eſt: ſin animus donantis, & finis ad quem collimat illa liberalitas, rem hanc turpiſsimam & ini-*

quißimam duco. Nam quum Legibus cautum ſit, ne quis Privatus, ſive in Magiſtratu conſtitutus, à Regibus dona, quacunque tandem ex cauſſa capiat: iniquißimum facinus erit, ſi accepta ea pecunia, omnes palam acceptorum munerum rei ſimus. Ad hæc dubitare nemo poteſt, quin ſummum dedecus cum ea muneratione ſit conjunctum. Nam quis non videat, & probroſum & noxium fore, ſi ſtipendia quotannis ab Eumene Rege publicum Concilium accipiat, & velut eſca prius deglutita, ad deliberandum de publicis rebus accedat? Nunc pecunias largitur Eumenes: mox Pruſias eſt largiturus: idem deinde facturus eſt Seleucus. Quum autem plurimæ ac maximæ quæque conſultationes noſtræ ſint de controverſiis quas habemus cum Regibus: duorum alterum manifeſto neceſſarium erit, ut aut Regum utilitatem noſtris commodis anteponamus, aut, ſi aliter fecerimus, ut ingrati videamur, ſi nos iis opponamus, quorum erimus mercenarii. Hortamur igitur Achæos, non ſolum ut munus recuſent, verum etiam ut Eumenum, quod ei talis largitionis in mentem venerit, impoſterum odio proſequantur.
Surrexit poſt hunc Caſſander Ægineta, & Achæorum animis facunde repreſentavit Æginetarum calamitatem, in quam propterea præcipites acti fuiſſent, quod Concilii Achæorum eſſent. Hoſtes urbis potitos, ex pacto fœderis quod cum Romanis icerant, Attalo eam Regi tradidiſſe, triginta talentis addictam. Hæc ille ob oculos Achæis ponens, æquum cenſebat, ut non pecuniarum largitione Rex Eumenes Achæorum benevolentiam captaret, ſed urbem Achaico corpori redderet, eoque facto benevolentiæ teſtimonia cum præclaro cunctorum

aſſen-

aſſenſu ſeſe reportaturum confideret. Achæis autem inculcabat, ut fortiter adſpernarentur ejuſcemodi liberalitatem, quæ ſpem ſalutis etiam in poſterum Æginetis eſſet ademtura. His orationibus adeo concitata multitudo fuit, ut nemo cauſſam tueri Regis auderet: ſed cum clamore oblatam largitionem, etſi propter vim oſtentatæ pecuniæ ſupra modum blandientem, reſpuerent. At pater Perſei Philippus veneficio graſſabatur in Prætores, ut illis veluti telorum mucronibus ablatis, obtunderetur & hebeſceret acies Achaicæ magnitudinis. Heroem Aratum Taurio, miniſter flagitiorum dominationis, veneno tollere juſſus eſt lento & ſenſim occidente. Crudelis haudquaquam latuit Aratum dolus: ſed cum exprobratio non eſſet factura malo medicinam, ferendum tacite ſcelus illud exiſtimavit: niſi quod adſtante familiari ſuo Cephalone, quum eo incoram in cubiculo ſanguinem ſpuiſſet, iſta ſubjunxit: τοιαῦτα τὰ ἐπίχειρα τῆς τυραννικῆς φιλίας· *hæc ſunt præmia regiæ amicitiæ.* Mox idem Philippus Arati filium Aratum, & ipſum aliquotiens admotum Præturæ, non quidem mortifero, ſed ad inſaniam redigente veneno, de poteſtate mentis deturbavit. Hæc tetigit in Aratea Vita Plutarchus.

Caput XI.

Specimen perplexi Status Achæorum.

ELatiam obſidenti Conſuli Romano ſpes conficiundi negotii majoris affulſit, videlicet Achæorum gentem ab ſocietate Macedonum ad Romanam amicitiam avertendi. Cycliadem, principem factionis ad Philippum trahentium res, expulerant. Prætor Ariſtænus erat, qui gentem Romanis amicitia jungi percubiebat. Claſſis Romana, cum Attali Rhodiorumque claſſe, Cenchreis ſtabat, parabantque ſimul omnes oppugnare Corinthum. Conſul optimum factu ratus eſt, priuſquam eam aggrederentur oppugnationem, legatos ad gentem Achæorum mitti, pollicituros, ſi ab Rege ad Romanos defeciſſent, *Corinthum eos contributuros in antiquum gentis Concilium.* Eodem igitur auctore legati à fratre ejus L. Quinctio, & Attalo, & Rhodiis, & Athenienſibus, ad Achæos miſſi. Sicyone datum iis eſt concilium. Verumenimvero non admodum ſimplex habitus animorum inter Achæos erat: neque ſolum quid in Senatu quiſque civitatis ſuæ, aut in communi concilio gentis pro ſententia dicerent, ignorabant, ſed ne ipſis quidem ſecum cogitantibus, quid vellent, aut quid optarent, ſatis conſtabat. Ad homines ita fluctuantes introductis legatis dicendi poteſtas eſt facta. Romanus primum legatus L. Calpurnius, deinde Regis Attali legati, poſt eos Rhodii diſſeruere. Philippi deinde legatis dicendi pote-

potestas est facta: postremi Athenienses auditi sunt. Et illa quidem concio sub occasum solis, tot legatorum perpetuis orationibus absumpto die, dimissa est. Postero die concilium advocatur: ubi, cum per præconem suadendi, si quis vellet, potestas à Demiurgis fieret, nec quisquam prodiret, diu silentium aliorum alios intuentium fuit. Neque mirum, si quibus sua sponte volutantibus res inter se pugnantes obtorpuerant animi, eos insuper orationes legatorum turbaverant, utrinque difficilia promendo, admonendoque vel verius inflammando, per totum diem habitæ. Tandem Prætor Aristænus, ne tacitum torpidumque concilium dimitteret: *Ubi,* inquit, *Achæi, animorum illa certamina sunt, quibus in conviviis & circulis, cum de Philippo & Romanis mentio incidit, vix manibus temperatis? nunc in concilio ad eam rem unam indicto, cum legatorum utrinque verba audieritis, cum referant Dimiurgi, cum præco ad suadendum vocet, obmutuistis. Si non cura communis salutis, ne studia quidem, quæ in hanc aut illam partem animos vestros inclinarunt, vocem cuiquam possunt exprimere? Quum præsertim nemo tam hebes sit, qui ignorare possit, dicendi ac suadendi, quod quisque aut velit aut optimum putet, nunc occasionem esse, priusquam quidquam decernamus: ubi semel decretum erit, omnibus id, etiam quibus ante displicuerit, pro bono atque utili fœdere defendendum.* Hæc Prætoris adhortatio, si Livio credimus, non modo quenquam unum non elicuit ad suadendum, sed ne fremitum quidem, aut murmur, *concionis tantæ, ex tot populis congregatæ*, movit. Tum ille propemodum indignabundus, non magis consilium

principibus Achæorum deesse quam linguam, sed suo quemque periculo in commune consultum nolle: forsitan se quoque taciturum fuisse, si privatus esset, nunc Prætorem opinari, aut non dandum fuisse concilium legatis, aut sine responso non esse dimittendos. Mox, ut hæsitationi judiciorum subveniret, & inclusam triduano spatio consultationem, citra dissidium atque perplexitatem populorum, finiret ipse singularum postulata legationum percensuit, ac vim & pondus postulatorum, nervosa qua Prætorem decente pollebat eloquentia, oculis omnium animisque subjecit. Ea fusius exsequuntur Historici, qui mentionem rerum Achaicarum æternitati scriptorum suorum inseruere. Tandem ita peroravit: *Nolite, quia ultro Romani petunt amicitiam, id quod optandum vobis ac summa ope petendum erat, fastidire. Metu enim videlicet compulsi in aliena terra, quia sub umbra auxilii vestri latere volunt, ad societatem vestram confugiunt, ut portubus vestris recipiantur, ut commeatibus utantur. Mare in potestate habent: terras quascunque adeunt, extemplo ditionis suæ faciunt: quod rogant, cogere possunt: quia pepercisse volunt, committere vos cur pereatis, non patiuntur. Nam quod Philippi Cleomedon modo tanquam mediam & tutissimam vobis viam consilii; ut quiesceretis, abstineretisque armis, ostendebat, ea non media, sed nulla via est. Etenim præterquam quod aut accipienda, aut adspernanda vobis Romana societas est, quid aliud quam nusquam gratia stabili, velut qui eventum exspectaverimus, ut fortunæ applicaremus nostra consilia, præda victoris erimus? Nolite, si, quod omnibus votis petendum erat, ultro offertur, fastidire. Non, quemadmodum*

modum hodie utrumque vobis licet, sic semper liciturum est: nec sæpe, nec diu, eadem occasio erit. Liberare vos à Philippo jamdiu magis votis quam armis audetis: sine vestro labore & periculo qui vos in libertatem vindicarent, cum magnis classibus exercitibusque mare trajecerunt: hos si socios adspernamini, vix sane mentis estis: sed aut socios, aut hostes habeatis oportet. Neque tamen ea cordata facundia Prætoris aut discidium, aut perplexitatem, ex attonito profligare concilio potuit. Secundum hanc ejus adhortationem murmur ortum aliorum assentientium, aliorum inclementer assentientes increpantium. Et jam non singuli modo, sed populi universi inter se altercabantur: tum inter Dimiurgos certamen nihilo segnius, quam inter multitudinem, esse. Quinque se de societate Romana relaturos ajebant, suffragiumque daturos: quinque Lege cautum testabantur, ne quid, quod adversus Philippi societatem esset, aut referre Magistratibus, aut decernere Concilio jus esset. Hic quoque dies jurgiis & altercationibus est absumtus. Supererat unus concilii dies (tertio enim decretum fieri Lex jubebat) in quem adeo exarsere studia, ut vix parentes à liberis temperaverint. Denique Dymæi, Megalopolitani ac quidam Argivorum, & magnis & recentibus obligati Macedonum beneficiis, consurrexerunt, ac concilio, quod inclinare videbatur ad Romanam Societatem, excesserunt.

CAPUT

Caput XII.
Dissolutio Corporis Achæorum.

DUo vulnera, quæ corpori suo ipsimet inflixerant Achæi dissolutionem ejus & interitum acceleravere: nempe contentiones atq; perplexitates conciliorum identidem ab inimicis animadversæ: tum quod, senescente veluti corpore, languidius, & infra gloriam Reip. pleraque cum exteris transigerentur. Hæc cum ipsi vulnera sibi fecissent, quid aliud, quam lethale ab externa potentia faciundum, exspectare licebat? Romanis, postquam Pœnos ac Macedones subegissent, *soli ex universa Græcia nimis potentes Achæi videbantur* (Epitoma Trogi loquitur) *non propter singularum Civitatum nimias opes, sed propter conspirationem universarum. Namque Achæi, licet per civitates veluti per membra divisi essent, unum tamen corpus & unum imperium habebant, singularumque urbium pericula mutuis viribus propulsabant.* Molliter ut plurimum, ac prætimide, suarum ad postulata legationum responderi, ac ducibus suis, in Græcia rem gerentibus, nihil non publicitus indulgeri, jampridem animadverterant, admiratores ipsi perpetui magnanimarum gentium, tanquam sibi cognatarum. Hic eos torpor, hæc pusillanimitas & ignavia, ad facinus tyrannico fastu, quam Romana mansuetudine dignius, incitavit. Qui pecuniis, aliove clandestino sustentaculo, spem Persei collabentem vel tantillum recreassent, eos omnes, & quidem perlevi con-

contactos suspicione, ad dicendam caussam in Urbem evocavere. Novum id & acerbum Achæis. Neque enim aut Amyntæ filius, aut hujus Alexander, Macedoniæ regnatorum potentissimi, adversarios unquam suos è Græcia in Macedoniam disceptandi caussa deduci postulaverant, sed haud inviti passi fuerant, quibus de rebus ambigeretur, ab Amphictionum curia cognosci. At Romani tunc Achæorum quemcunque, cujus modo nomen pus atque venenum patriæ Callicrates detulisset, edicto deduci Romam imperavere. Pausanias: *Fuere, qui deducti sunt, plures quam mille, quos Senatus in publicas custodias, per Hetruriæ oppida distribui jussit. Alios deinde super alios ab Achæis missos legatos, & deprecatores, omnino nihili fecerunt. Post septimum ac decimum demum annum trecentos ferme viros atque eo etiam pauciores, qui ex omni Achæorum numero reliqui erant in Italia, è custodiis dimiserunt, satis jam eos pœnarum dedisse rati. At eos qui effugere conati sunt, vel ex ipso itinere antequam Romam perducerentur, vel ex iis in quas relegati fuerant urbibus, à fuga retractos, nulla accepta excusatione, capitali supplicio affecerunt.* Interim in Græciam ab Urbe legatio, rerum Græcanicarum arbitria futura, pervenerat. Hujus princeps legationis Orestes, Corinthi Magistratibus Achaicarum civitatum congressis, Senatum censere denuntiavit, neque Lacedæmona, neque Corinthum ipsam Achæis contribuere se debere: Argos præterea, Heracleam quæ ad Oetam esset, & Orchomenios Arcadici nominis, ab Achæorum concilio sejungendos. *Neque enim his esse populis* (ita Pausanias) *ullam cum Achæis co-*

gnationem, & eas civitates cœpiſſe ſerius ipſis adhærere. Trogi Epitoma denuntiationem iſtam ad univerſi diſſolutionem corporis expandit. *Legatis occulta mandata ſunt, ut corpus Achæorum diſſolverent, ſingulaſque urbes proprii juris facerent, quo facilius ad obſequia cogerentur, &, ſi quæ contumaces eſſent, frangerentur. Igitur legati, omnium civitatum principibus Corinthum evocatis decretum Senatus recitant, quid conſilii habeant, aperiunt. Expedire omnibus dicunt, ut ſingulæ civitates ſua jura & ſuas leges habeant.* Eo decreto cunctis innoteſcente, intempeſtive reſumtis animis, in trucem exarſere ſævitiam, & verſantes Corinthi Lacedæmonios, tanquam ea ſignificatione Romanæ voluntatis impotenter exſultabundos, mactavere: quin ipſam quoque legationem ferro violaſſent, niſi audito trepida tumultu ſemet in fugam conjeciſſet. Hinc in Urbe flagrantiſſima Patrum indignatio. Statim ultio Conſuli Mummio mandata; qui extemplo exercitu deportato, & omnibus ſtrenue proviſis, pugnandi copiam hoſti fecit. Occæcat animos mortalium divinitas, quotiens vim ſuam ingruentem refringi non vult. Apud Achæos, ut adventantis exitii fatum agnoſceretur, ac ſi Romanis incumbentibus armis, per quam modica negotiorum moles incumberet, neglecta omnia, & ſoluta, ſocordiſque plena confuſionis, extitere. Quin imo prædam; non prœlium cogitantes, & vehicula ad ſpolia hoſtium reportanda duxerunt, & conjuges liberoſque ſuos, ad ſpectaculum certaminis, in montibus locaverunt. At prœlio commiſſo, ante oculos ſuorum cæſi, lugubre his ſpectaculum, & gravem

vem luctus memoriam reliquere. Conjuges quoque liberique eorum, de ſpectatoribus ipſi ſpectaculum facti, prædæ hoſtium ac ludibria fuere. Suam propria manu Prætor Diæus è vivis expulit, hauſto ipſe veneno & conjugis & patriæ caſum comitatus. Urbs ipſa Corinthus, *Achajæ caput*, *Græciæ decus* (ita Florus) ἐςὲ τὰ ἄλλα ἀνθοῦσα, καὶ ἐν τῷ συνεδρίῳ κρατιςεύουσα (ſic Dionis Eclogæ περὶ πρεσβειῶν) ipſa, inquam, Corinthus incenditur, viri mactantur, imbellis ætas,, ſexuſque, ſub corona venduntur. Cæterarum urbium muri dejecti, arma incolis ademta: genti conciliis interdictum: tributi forma deſcripta: denique conſtitutum eſt, ut quotannis ab Urbe Prætor, juris dicundi cauſſa mitteretur.

CAPUT XIII.

Panætolium.

Metus à Macedonia, ſicut Achaica compegerat, ita etiam non multo poſt tempore compegit Ætolica. Plinius Hiſtoriæ Mundi lib. IV. populos Ætoliæ recenſet Athamanes, Tympheos, Ephiros, Ænienſes, Perrhæbos, Dolopes, Maraces, Atraces: oppida clariora Calydonem, Macyniam, Molycriam: in littore ſinus Corinthiaci, dirimentis ab Ætolia Peloponneſum, Pylenen, Naupactum, & in mediterraneo Pleuron, Halyſarnam. Epiorum gentem Ætoliæ partem extitiſſe, Valerius Maximus in octavo (ſed hi forſitan

ſitan Ephyri Pliniani ſunt) & Epirotas Ambracienſes Ætolico ſeſe concilio contribuiſſe, teſtatur in Excerptis Legationibus Polybius. Quin & Ambraciam, Pyrrhi regiam, caput Ætolicæ gentis haud dedignatur appellare Florus. At validiſſimi corporis artus Acarnanes. Quod autem ſibi gentium, urbiumque, nonnullas armis applicuiſſent, uſu veniſſe teſtatur Amaſenſis Geographus, ut in duas partes Ætolia tributa, Vetus quidem una diceretur, Ἐπίκτητος altera, ſeu Adquiſita. Et Vetus quidem, eademque campeſtris, adſignabatur olim Pleuroni, Adquiſita, eademque montana, Calydoni. Corpus hoc Ætolicum majeſtatem Reip. repræſentandam Concilio committebat, quod, annui temporis orbe ſe circumagente, ſemel tantummodo (niſi plura caſus extorquerant) ad forum percelebre Thermum confluebat. Thermum, quod in media ſitum regione, locus aſper atque præruptus,& exercitibus haud facile penetrabilis, habebat. Iſti Concilio nomen παναιτώλιον indidere, quod ex omni convolaret Ætolia multitudo. Leguntur & *Apocleti.* Livius: *Concilium quidem univerſæ gentis poſt dimiſſos Romanos non habuerunt, per Apocletos autem (ita vocant Sanctius Concilium, ex delectis conſtat viris) id agitabant, quonam modo res in Græcia novarentur.* Quod conſtaret è delectis id concilium viris, idcirco non deſunt, qui legere malint *Apolectos.* Hos *arcanum concilium* idem alicubi Livius appellavit. Cæterum, ut nunquam extorres è Rep. ſplendor & auctoritas eſſent, dirigebat annuus occurrentia negotia Prætor. Annuus, inquam, ne certum im-

imperium, vimque regiam complecteretur animo, sed mobilem, ac brevi deponendum, Principatum cogitaret. *Principes* Ætolicæ gentis legimus Thoantem, Scopam, Phaneam, qui Prætores erant, ac Strategi, suos inter, audiebant. προέδρους seu Præsides appellant Appiani Fragmenta περὶ πρεσβειῶν. Quod autem anni circumscriberetur curriculo Prætor, exinde notabilis aliquando disceptatio, præsentem inter Prætorem, ac sequentis Præturæ candidatos, emersit. Ætoli, quod impetrare à Mydioniis haud poterant, ut corpori suo semet insererent, armis eos expugnatum ibant. Itaque ex universa gente coacto exercitu, ac positis ad urbem illorum castris, sine intermissione ulla, machinis etiam admotis, oppugnationem urgebant. At postquam comitiorum tempus adventavit, queîs novum creari Prætorem oportebat, quia pessimo jam loco res obsessorum erant, adeo ut indies exspectaretur deditio, desinentis anni Prætor ejuscemodi postulato aggressus est Ætolos: quoniam & labores hujus obsidionis, & pericula, suis cervicibus incubuissent, æquum esse, ut capta urbe & prædæ administratio, & armorum inscriptio, sibi tribueretur. Quum huic postulato non pauci refragarentur, & illi maxime, qui Prætorium imminentis anni decus ambiebant, hortarenturque multitudinem, ne ea de re præjudicarent, sed omnia illi integra servarent, cuicunque tandem expugnationis gloriam fortuna tribuisset: Ætolis placuit, *ut futurus Prætor jus prædæ administrandæ, & arma inscribendi, cum præsenti communicaret*. Hæc tetigit in Histo-

riarum ſecundo Polybius. Libertati ſententiarum dicendarum conſultum Lege voluere, quam apud Livium laudat Achæorum Philopoemen, profeſſus, optime comparatum apud Ætolos eſſe, *ne Prætor, cum de bello conſuluiſſet ipſe ſententiam diceret.* At illud anceps, ac periculoſæ plenum aleæ conſilium, quod, ad regios affectus, ſibi devinciendos, Prætores aliquando Reges creavere. Ecce depromptum ex ejuſdem Livii Decadibus exemplum. Libro XXVII. *Attalum quoque Regem Aſiæ, quia Ætoli ſummum gentis ſuæ Magiſtratum ad eum proximo concilio detulerant, fama erat in Europam trajecturum.* Cautio tamen adhibita comitati fuit, ex ipſa gente nihilominus eidem anno alium imponendo Prætorem. Ibidem: *Philippo in Græciam deſcendenti ad Lumiam urbem Ætoli duce Phyſia, qui Prætor in eum annum cum abſente Attalo creatus erat, occurrerunt.* Ut ſpecimen magis titulumque Præturæ, quam ipſam, Reges Prætores obtinuerint. Magna gentis, ob vires unitas, exiſtimatio, claritudo præſignis. Floreſcentibus rebus ſuis, amicitiam ejus expetivere Romani. Nam M. Valerius Lævinus, tentato prius per colloquia Prætoris animo, ad indictum antea ad id ipſum concilium venit. Ubi cum captas in fidem, Syracuſas in Italiaque rerum proſpere fluentium curſum oſtendiſſet, adjeciſſetque: jam inde à majoribus traditum morem Romanis colendi ſocios, è quibus alios in civitatem & æquum ſecum jus accepiſſent, alios in ea fortuna haberent, ut ſocii eſſe quam cives mallent: Ætolos in eo majore futuros

ros honore pronuntiavit, quod gentium transmarinarum in amicitiam primi venissent. Philippum eis & Macedonas graves accolas esse, quorum se vim ac spiritus etiam fregisse: & eo redactos esse, ut non iis modo urbibus, quas per vim ademissent Ætolis, excederent, sed ipsam Macedoniam infestam haberent. Imo, quanquam per idem tempus Ætoliam præpollentis jactura membri debilitaret, perseveravit tamen, in proposito Lævinus. Exasperati prægravibus & identidem repetitis injuriis Acarnanes, ipsi à corpore semet abruperant. Lævinus, ut Ætolas cuspides (Martiali decantatas) sarissis Macedonum fidentius objectaret, pollicebatur, *Acarnanas, quos ægre ferrent Ætoli à corpore suo diremtos, restituturum se in antiquam formulam jurisque ac ditionis eorum.* At incredibiliter hanc restitutionem abominabantur Acarnanes. Viribus impares, & jam Oeniadas Naxumque captas à Romano, ac denuo contributas Ætoliæ cernentes, ira magis instruxere, quam consilio, bellum. Adventante cum exercitu Prætore Scope, conjugibus, liberisque ac senioribus, in propinquam Epirum amandatis, ab XV. ad LX. annos conjuravere, nisi victores Ætolorum se non redituros: qui profligatus acie excessisset, eum ne quis urbe, tecto, mensa, reciperet. Dira execratione in populares, & obtestatione quam potuere sacerrima, adversus hospites composita, precati insuper Epirotas sunt, ut, qui suorum in acie cecidissent, eos uno tumulo contegerent, ac titulum adjice-

rent

rent tumulatis: *Hic siti sunt Acarnanes, qui adversus vim atque injuriam Ætolorum pro patria pugnantes, occubuerunt.* Hi tamen erant Acarnanes illi, de quibus in decimo Geographus: *plurimo tempore conjuncti cum Aetolis Acarnanes, adversus Macedonas & alios Græcos, certamina pro libertate certavere.*

CAPUT XIV.

Oratio Agelai Ætoli.

CElebrabatur extra ordinem Naupacti concilium. Ætoli finem imponere bello Philippico gestientes, oravere Regem, ut è propinquo ne dedignaretur adesse, quo promptius & expeditius componi cuncta possent. Rex Macedo, Philipporum secundus, eorum precibus expugnatus, ad Coela quæ Naupactia vocabant, stadia ab urbe admodum viginti, trajecit. Inde legatos misit, hac lege pacem offerre jussos Ætolis, ut, quæ jam tenerent utrique, perpetuo tenerent. Quod cum Ætoli libenter essent amplexi, de cætero super conditionibus particularibus ultro citroque legationes assiduæ missitabantur. Queîs prætermissis, quoniam pleræque nihil dignum memoratu continebant, Agelai Naupactii adhortationem, primo in conventu ad Regem & omnes qui aderant socios habitam, dignam Polybius existimavit, quæ cum cura quinto Historiarum insereretur. Dixit igitur Agelaus: *Maxime quidem illud Græcos decere, ne bellum invicem unquam gerant. Quin magnas Diis gratias agendas illis fore, si vel optime inter se consentien-*

tientes, & manibus connexis, ſicuti ſolent qui amnes vado tranſeunt, ingruentes Barbaros repellere, & cum ſe tum urbes ſuas valuerint ſervare. Cæterum ſi in omne ævum ſanciri hæc concordia nequeat, in præſentia quidem certe conſpirandum eſſe ad communem tuendam ſalutem: quum robur illud exercituum barbaricorum, & belli adverſus illas immenſas vires ſuſcipiendi magnitudinem proſpiciant. Etenim eſſe neminem, quamvis mediocriter in rep. verſatum, quin videat jam nunc, ſive Carthaginenſes vicerint bello Romanos, ſive Romani Carthaginenſes, non eſſe ullo modo ſimile veri, Italiæ aut Siciliæ imperio victores fore contentos. Sed & conſilia & vires ſuas ulterius, quam eſſet optandum, eos eſſe porrecturos, & ad ſe venturos. Hortari igitur omnes, præcipue vero Philippum, ut ab impendente caveant periculo: cavendi porro hanc eſſe rationem, ſi pro eo quod opes Græciæ hactenus attriverit, & invadere parantibus expugnatu faciles reddiderit, jam è contrario ipſis tanquam corpori ſuo conſuluerit, omniumque in univerſum Græciæ partium parem curam geſſerit, ac ſi conjuncti eſſent ipſi omnes, & proprio jure ad eum pertinerent. Hoc modo ſi res adminiſtraret paratam ipſi Græcorum benevolentiam fore, quos in omnibus incœptis conſtantes adjutores ſit habiturus: exteros vero populos, immobili Græcorum fide erga ipſum territos, ejus regno haud ita fidenter inſidiaturos. Quod ſi rerum gerundarum cupiditate ducatur, reſpiceret Occidentem, & bellis, quibus flagrat Italia, mentem intenderet: ut obſervato prudenter eventu rerum, quum ſe dederit occaſio, ſummum ſibi vindicare conetur imperium: à quo conatu præſentis conditionem temporis haud abhorrere. Orare denique, ut ſi quæ intercedant illi cum Græcis controverſiæ, ſi quæ adverſus eos bella moliatur, illa differret in ma-

jus otium: enixaque cura id operam daret, ut & gerundi & finiundi belli cum Græcis poteſtatem ſemper haberet. Nam ſi ingruentem ab Occidente nubem ſemel in Græciam pateretur incumbere; equidem, inquiebat, *animi crucior, metuens ne & induciarum & bellorum, & omnium iſtorum quos inter nos ludimus nunc ludorum, adeo omnibus nobis facultas præcidatur, ut pro magno beneficio à Diis ſimus optaturi, ſumendi ponendique belli inter nos quotiens voluerimus, poteſtatem nobis fieri, & omnino nobis permitti noſtrarum diſcordiarum Arbitrium.* Hac Agelaus oratione cum Socios omnes cupiditate pacis incendit, tum ipſum imprimis etiam Philippum: cujus voluntati, hortatu Demetrii jam ante excitatæ ſecunda & admodum congruentia diſſeruerat. Itaque, poſtquam de ſingulis conditionibus inter ipſos conveniſſet, firmato fœdere diſceſſerunt: & averruncato bello pacem in ſuam quiſque patriam, velut poſtliminio, reduxerunt. Ad Agelaum, brevi interjecto tempore, dignatio Prætoria pervenit.

Caput XV.
Diſſolutio Corporis Ætolorum.

Quemadmodum publica timiditas atq; mollitia viam ad interitum Achæorum ſtravit, ita nimio faſtu, nimiaque ferocia magnitudinem Romanam irritavere, ac ſuum ipſimet exitium, gens tandem intolerabilis, Ætoli provocavere. Pulchre Panegyricus, qui dictus eſt Imperatori Theodoſio ſeniori: *Nihil ſibi magis populi, quam ſe, timeant.*

meant. Timere ſemet ipſos Ætoli debuere, quum fortitudinis ac magnanimitatis gloriam ad violentiam ac contemtum juris humani, divinique, tranſtulere. Ubique prætumidos, ira præcipites, ac turbatores alienæ quietis, animos, civilitatis atque moderationis exſortes, nec unquam rationis intra gyrum coercitos, exſerebant. Ita non contis aut remulco, ut alicubi loquitur Ammianus, Marcellinus, ſed velificatione plena propriam in remp. ferebantur. Exhibuimus Acarnanes, ob proterviam gentis, ab Ætolico corpore ſeſe dirimentes: ſed & Agelai Naupactii cordatiſſimam ad concordiam atque conſenſum cohortationem modo repræſentavimus. At enimvero iſti cornupetæ graves etiam infeſtique frequenter Achæis (quorum Reip. facies, ac finis, eadem cum Ætolica propemodum erant) non poterant à vexanda Peloponneſo prædatoriam cohibere petulantiam. Quin & in Laconici gratiam Cleomenis, aperto eos bello premere nequaquam refugere. Achæos, inquam, quorum corpori ſuum aliquando corpus applicuerant, formidabilem orbi Græcanicam effecturi potentiam, *duabus Præpotentibus Rebuſpublicis, & quidem forma ſcopoque perſimilibus, in unam redactis: ſi intelligere magnitudinem ſuam, ac felicitatem ſeculi noſſe quiviſſent.* At illi quamprimum ab eo corpore divelli peroptavere: &, ut infrunitam gentis amentiam cernas, ad promovendam eam diſſolutionem, haud diſpuduit auctoritatem advocare Romanam. Pauſanias: *Quum Ætoli Pleurone ad Sulpitium Gallum venientes, ſejungi ſe ab Achaico concilio poſtulaſſent,*

eis permisit ut suis propriis auspiciis legatos Romam mitterent. Est vero Senatus auctoritate eorum ab Achæis defectio comprobata, & Sulpitio mandatum, ut quam posset plurimas civitates ab Achaico conventu disjungeret. Quod ille impigre effectum reddidit. Tandem cum Romana commissi magnitudine fuere. Post exercitus è Græcia deportatos in spe fuerant, & Antiochum in vacuam Europæ possessionem venturum, nec Philippum, aut Nabidem, quieturos. Ubi nihil usquam moveri viderunt, agitandum aliquid miscendumque rati, ne cunctando consilia senescerent, extra ordinem indixere conventum. In eo Prætor Thoas facunde conquestus injurias Romanorum, & statum Ætolorum, quod omnium Græciæ gentium atque civitatum inhonoratissimi post eam victoriam essent, cujus ipsi caussa fuissent, legatos censuit circa Reges mittendos, qui non modo tentarent animos eorum, sed suis quemque stimulis in Italica bella concitarent. Livius: *Neque Boji, neque Hispani, cum quibus eo anno bellatum erat, tam inimici infestique erant Romanis, quam Ætolorum gens.* Iterum: *Per totum simul orbem terrarum Ætoli Romanis concitabant bellum.* Reversi à potentissimo Asiæ regnatore legati cunctorum aures implebant terrestres navalesq; copias extollendo: ingentem vim peditum equitumque venturam, ex India elephantos accitos: ante omnia, quo maxime multitudinem erigi credebant, tantum auri advectum iri, ut ipsam Rex emere Romam posset. Obeunti tunc temporis in Græcia legationem T. Quinctio è Rep. visum est, Sociorum aliquos legatos interesse proximo concilio, qui admonerent Romanæ

næ ſocietatis Ætolos,qui vocem emittere liberam adverſus jactationem legatorum auderent. Athenienſes præ cæteris in eam rem idonei viſi ſunt, propter & civitatis dignationem,& vetuſtam cum Ætolia ſocietatem: ab iis Quinctius petiit, ut legatos ad *Panætolicum concilium* mitterent. Hi intromiſſi Romanæ ſocietatis Ætolos, ac meritorum in univerſam Græciam T. Quinctii admonuere: ne temere eam præcipitantia conſiliorum everterent. Conſilia calida & audacia prima ſpecie læta,tractatu dura,eventu triſtia eſſe. Legatos Romanos, & in iis T.Quinctium, haud inde procul abeſſe: quandoquidem integra eſſent omnia, verbis potius de iis, quæ controverſi juris eſſent, diſceptarent, quam Aſiam Europamque ad funeſtum armarent bellum. Multitudo novandarum avida rerum, Antiochi tota erat, & ne admittendos quidem in concilium Romanos cenſebat: obtinuere tamen auctoritate ſua ſeniores, ut daretur iis concilium. Hanc animorum inflammationem referentibus Athenienſibus, eundum in Ætoliam Quinctio viſum eſt: aut enim moturum aliquid, aut orbem terrarum teſtem fore, penes Ætolos belli culpam eſſe: Romanos juſta ac omnino neceſſaria ſumturos arma. Poſteaquam ventum eſt eo, Quinctius in concilio orſus à principio ſocietatis Ætolorum cum Romanis,& quotiens ab ipſis fides mota fœderis eſſet, pauca de jure civitatum, de quibus ambigeretur, diſſeruit. Si quid tamen æqui ſe habere arbitrarentur, quanto eſſe ſatius Romam mittere legatos, ſeu diſceptare,

ſeu rogare Senatum mallent, quam Pop. Rom. cum Antiocho, admiſtis Ætolis, non ſine motu magno generis humani,& pernicie Græciæ dimicare? nec ullos prius cladem ejus belli ſenſuros, quam qui moviſſent. Hæc nequidquam veluti vaticinatus eſt Romanus. Thoas deinde, cæterique factionis ejuſdem, cum aſſenſu omnium auditi, pervicerunt, ut ne dilato quidem concilio, & abſentibus Romanis, decretum fieret, quo feſtinanter accerſeretur Antiochus ad liberandam Græciam, diſceptandumque Romanos inter & Ætolos. Huic tam inſolenti decreto propriam, & quidem inſolentiorem, contumeliam addidit ejus anni Prætor Democritus. Nam quum id ipſum decretum poſceret eum Quinctius, aliud in præſentia, quod magis inſtaret, eſſe prævertendum ſibi dixit: *decretum reſponſumque brevi in Italia, caſtris ſuper ripam Tiberis poſitis, daturum.* Tantus furor illo tempore gentem Ætolicam, tanta Magiſtratus eorum veſania ceperat. Vin' ſpecimen adhuc manifeſtius auditarum ſuperbiſſime legationum? Ex Epitoma Trogi promatur. Denuntiaverant legati, præſidia ab urbibus dubii juris eſſe deducenda. At Ætoli Pœnos & Gallos, à quibus tot prœliis occidione cæſi eſſent, Romanis exprobravere, dicentes, prius illis portas adverſus Carthaginenſes aperiundas, quas Punici metus belli clauſiſſet, quam in Græciam arma transferenda. Meminiſſe deinde jubebant, qui quibus minarentur: adverſus Gallos urbem eos ſuam tueri non potuiſſe: captamque non ferro vindicaſſe, ſed auro redemiſſe. Quam gentem ſe, ali-

aliquanto majore cum manu Græciam ingressam, non solum nullis externis viribus, sed ne domesticis quidem totis adjutos, universam delevisse, sedemque sepulchris eorum præbuisse, quam illi viribus, imperioque suo, proposuerant. E contrario Italiam, trepidis ex recenti Urbis incendio Romanis, universam ferme à Gallis occupatam. Prius igitur ipsis pellendos Italia Gallos, priusque sua defendenda, quam minarentur Ætolis. Quos autem homines Romanos esse? nempe pastores, qui latrocinio justis dominis ademtum solum teneant: qui uxores, cum propter originis dehonestamenta nullas invenirent, ut publica rapuissent: qui denique Urbem ipsam parricidio condidissent, murorumq; fundamenta fraterno sanguine respersissent. Ætolos autem principes Græciæ semper extitisse, & sicuti dignatione, ita virtute cæteros anteivisse: solos denique esse, qui Macedonas imperio terrarum florentes perpetuo contemsissent: qui Philippum Regem haud extimuissent, qui Magni Alexandri post Persas Indosq; subjugatos, cum omnes ejus nomen horrerent, edicta, calcassent. Monere se proinde Romanos, contenti essent fortuna præsenti, neque provocarent arma, quibus & cæsos Gallos, & spretos esse Macedonas viderent. At non tulere pectora Romana fœditatem exprobrationum Ætolicarum. Compulsus est ad pacem humiliter ambiendam Antiochus, unicum Ætolicæ grandiloquentiæ fulcimentum. Florus: *Syriaco bello successit, ut debebat, Ætolicum. Victo quippe Antiocho, Romanus faces Asiatici belli persequebatur. Ergo Fulvio Nobiliori mandata ultio*

ultio eſt. Tum verſa vice rerum, juſſi excedere Italia quindecim intra dies Ætolorum legati: capto etiam terrore Tiberis, illo minaci Democrito, & in lapicidinam Italicam detruſo. Et quo deinde, niſi ad deprecationis aſylum, natio confugeret, quæ paullo ante tantos ſibi ſpiritus, tantam ſumſerat arrogantiam? Interceſſit apud M. Fulvium, expeditionis ducem, C. Valerius Lævinus, ejus Lævini filius, qui primus amicitiam cum gente pepigerat. In Senatu vero Rhodios & Athenienſes adhibuere deprecatores. Et orator quidem Atticus, Iceſiæ filius Damis, cum alia multa promere præclara videbatur, tum ſimilitudinem imprimis, ad id quod agebatur accommodatiſſimam. Dixit enim (in Excerptis memorante Polybio) jure quidem optimo Romanos Ætolis iraſci, qui magnis à Pop. Rom. beneficiis affecti, nequaquam parem pro iis gratiam retuliſſent, ſed rem Romanam, excitato bello adverſus Antiochum, in præſentiſſimum diſcrimen conjeciſſent: cæterum hallucinari Romanos in eo, quod univerſæ genti propterea ſuccenſerent. Etenim in rebuſpublicis idem contingere multitudini, quod mari ſolet evenire. Nam mare natura quidem ſua tranquillum ac ſedatum ſemper eſſe, & accedentibus ad ſe, periculumque ſui facientibus, omnino nullam exhibere moleſtiam: ubi vero irruentium vi ventorum fuerit inflatum, ac præter naturam ſuam agitatum, nihil jam ſævius neque terribilius eſſe mari. Id ipſum Ætolis eveniſſe: hos, quamdiu mentis ſuæ compotes extitere, præcipua inter omnes Græcos benevolentia

Pop.

Pop.Rom.esse prosecutos, & in omnibus inceptis constãter adjuvisse: posteaquam vero partim ab Europa, partim ab Asia, Thoas, Dicæarchus, Menestas, Democritus flare, ac multitudinem concitare cœpissent, eamq; prętер ingenium suum quidvis & dicere & facere compulissent, tunc enimvero pessimis obnoxios consiliis Ætolos, studio Romanis nocendi, tantas sibi calamitates accersivisse. Persuasit Patribus orator, ut qualemcunque pacem nihil non asperum exspectantibus Ætolis indulgerent. Florus: *Aderant Ætolorum precibus Attici, Rhodii: & memineramus auxilii: sic placuit ignoscere.* De hinc illa quondam ferociore solita natio, tanquam capitis passa diminutionem, ludibriis exposita nationum fuit. Ejus cordolium, & immensum pristini status desiderium, luculenter expromit Epitoma Trogi: *Ætoli, qui Antiochum in bella Romana impulerant, victo eodem, soli adversus Romanos & viribus impares, & omni auxilio destituti remanserunt. Nec multo post victi, libertatem, quam illibatam adversus dominationem Athenienſium & Spartanorum inter tot Græciæ civitates soli retinuerant, amiserunt. Quæ conditio tanto amarior illis, quanto serior fuit, reputantibus illa tempora, quibus tantis Persarum opibus domesticis viribus restiterant, quibus Gallorum violentiam, Asiæ Italiæque terribilem, Delphico bello fregerant. Quæ gloriosa recordatio majus desiderium libertatis augebat.* Postmodum universarum urbium Magistratus, qui flagrante Macedonico Persei bello dubia fide fuerant, una cum conjugibus & liberis abrepti Romam, ibique, ne in patria novatum aliquid irent, detenti diutissime fuere.

Caput XVI.

Copulæ Græcarum Nationum, quæ vel ignobilioris extitere momenti, vel parcius ab Historia lumen accepere.

Conjiciantur in hoc caput, &, ut loqui Panegyristes amat, acuminatæ quasi punctis quibusdam signentur eæ copulæ Græcarum nationum, aut affinium Græcis, quæ vel ignobilioris extitere momenti, vel parcius ab Historia lumen accepere. De *Triphyliis* Strabo lib. VIII. *Triphylii ab eventu nomen habent, quod in unum corpus tres Gentes* (τρία φῦλα) *coiverint: nimirum qui ab initio fuerant Epei, Minyæ qui eodem postea commigraverunt, & qui postremo prævaluerunt Elei.* Eodem: *Hoc autem incredibile non est, Epeos, cum aliquando diversa ab Eleis gens & inimica essent, postea rerum potitos in unam cum his coivisse remp.* De *Zanclaeis* & *Messeniis* Pausanias: *Fide ultro citroque data & accepta, domicilium & imperium cum victis communicatum: Mutato tamen nomine, Zanclen Messenen placuit appellari.* De *Oritis* & *Histiæensibus* Strabo lib. x. *Quidam narrant Oritas, cum peculiarem haberent urbem, ab Ellopiensibus bello pressos transisse ad Histiæenses, & cum iis habitasse. Itaque unam de duabus factam urbibus, utroque nomine promiscue usam: sicut eadem urbs Sparta & Lacedæmon usurpatur.* De *Atticis* idem lib. IX. *Narrat Philochorus, quum Atticam*

Ca-

Cares à mari, à terra Bœoti quos vocabant Aones, popularentur, primum Cecropem in duodecim urbes multitudinem composuisse, quarum nomina sunt Cecropia, Tetrapolis, Epacria, Decelia, Eleusis, Aphydna, Thoricus, Brauron, Citherus, Sphettus, Cephissia, Phalerus. Has deinde duodecim Urbes in unam contraxisse, eam quæ etiamnum est, dicitur Theseus. Plutarchus in Vita Thesei: *Opus arduum ac admiratione dignum animo suo proposuit. Omnes enim qui Atticam inhabitabant, in unam urbem conduxit, unumque populum in unam civitatem composuit, cum hactenus seorsim degentes, difficulter convocarentur, ad utilitatem publicam in consilia mittendam. Interdum etiam dissidentibus invicem, ac mutuo armis disceptantibus, per singulos populos circumiens pacis auctor fuit: æquo animo accipientibus ejus admonitionem privatis ac pauperibus. Potentibus autem prædicabat, rempub. absque regia dominatione fore, si regem se constituissent: utpote ubi populo summam rerum in sua potestate habente, ipse tantum belli Dux ac Legum custos esset, cætera ejusdem cum reliquis conditionis. Itaque aut persuadebat, aut certe potentiam ejus jam adultam ac audaciam metuentes, malebant verbis quam vi adacti concedere. Proinde sublatis Prytaneis, Curiis ac Magistratibus, quæ erant apud singulos populos, unicum ibi omnibus commune Prytaneum, similiterque curiam erexit, quo loco nunc videntur: urbem ipsam Athenas nominavit, Panathenæa sacrificium publicum instituit: Metoecia* (μετοίκια) *quoque sacrum à mutatis civium sedibus dictum* XVI. *die Hecatombæonis fecit, hodie quoque usitatum.* Stephanus Byzantius in Vrbium Catalogo: *Theseus, cum undecim Atticæ civitates cohabitatum duxisset Athe-*

nas, Synoecia (συνοίκια) *festum instituit. De Arcadibus* Diodorus Siculus Bibliothecæ lib. xv. *Lycombdes Tegeata persuasit Arcadibus, ut in unum Reip. corpus & se conjungerent, communi instituto consilio, quod ex decies mille viris constans, de bello ac pace consiliandi potestatem haberet.* Xenophon Historiarum Græcarum lib. vi. *Tegeæ quotquot Callibii Proxenique partibus favebant, hoc agebant, ut tota Arcadia gens coiret.* τοῦ συνιέναι τε πᾶν τὸ Ἀρκαδικὸν, καὶ ὅτι νικῴη ἐν τῷ κοινῷ, τοῦτο κύριον εἶναι καὶ τῶν πόλεων. *Ac quæcunque pars ipsorum in communitate suffragiis superior esset, ea potestatem etiam in oppida maximam obtineret.* De Arcadiæ *Mantineensibus* Diodorus eodem lib. xv. *Quia Mantineensium urbs viris fortissimis abundans in propinquo Lacedemoniis erat, hi incrementum à pace ad illam redundans suspectum habere cœperunt: Animorum itaque celsitudinem in viris illis deprimere contenderunt. Quodque primum erat, missis eo legatis, mœnia urbis dejicere, & in antiquos quinque pagos, è quibus Mantineam commigraverant, sedes transferre jubent. Cum nemo pareret, expeditis eo copiis oppugnare urbem aggrediuntur.* Iterum: *Mantineenses perculsi urbem Lacedæmoniis dedere coguntur, qua recuperata, nihil aliud civibus adversi à Lacedæmoniis allatum est, quam quod in antiquos eos vicos denuo migrare jusserunt. De Magna Urbe* ejusdem Arcadiæ Diodorus ibidem: *Hostiles impressiones veriti Arcades opportuno quodam loco Magnam, quam vocitant, Urbem condidere, viginti Mœnaliorum & Pharrasiorum, uti nominantur, Arcadum pagis in eam conjectis.* Iterum: *Finitimæ urbes in Magnam Urbem translatæ, quæ jampridem moleste hanc ex avitis sedibus migrationem ferebant, in pristinæ jurisdictionis oppida ultro revertebantur. At pa-*

triis

triis hos laribus iterum excedere Megalopolitæ cogebant. Nata hinc controversia, Pammones oppidorum aliis vi expugnatis, aliis terrore subactis, quotquot erant, redire Megapolim coegit. Sic Oppidorum in unam Civitatem coagmentatio, quæ huc usque tumultus processerat, quo potuit fine, composita fuit. De *Bœotis* Strabo lib. IX. *Coroneæ Pamboetia agebantur, solennis universorum Bœotorum festivitas.* Livius lib. XLII. *In Bœotia jam motus cœperat esse, discedentibus à societate communis consilii Bœotorum quibusdam populis: ex quo renuntiatum erat respondisse legatos, apparitorum, quibus populis proprie societatem cum Rege jungi displicuisset. Primi à Choronea legati, deinde à Thebis, in ipso itinere occurrerunt, affirmantes non interfuisse se, quo societas ea decreta esset, concilio: queîs legati nullo in præsentia responso dato, Chalcidem se sequi jusserunt.* Ac mox: *Chalcidem ut ventum est, aliarum civitatum principes, id quod maxime gratum erat Romanis, suo quique proprio decreto Persei societatem adspernati, Romanis se adjungebant.* Item: *Thebanus Marcius & Attilius læti audierunt, auctoresque & his separatim singulis fuerunt, ad renovandam amicitiam mittendi Romam legatos. Ante omnia exules restitui jusserunt, & auctores regiæ societatis decreto suo damnarunt. Ita, quod maxime volebant, discusso Bœotico concilio, in Peloponnesum proficiscuntur.* Polybius Excerptarum Legationum LXIII. *At gens Bœotorum, quæ unam Remp. longo tempore coluerat, & cum admiratione omnium multa magnaque pericula evaserat, quum temerario vel potius nullo consilio Persei partes esset amplexa, puerilem in modum sine caussa consternata, soluta est & oppidatim dissipata.* De *Thracensi Græcorum Corpore* Polybius idem Histor. IX.

 Erat

Erat olim inter Græcos qui Thraciam colebant corpus veluti quoddam & resp. communis coloniarum ab Atheniensibus & Chalcidensibus eo deductarum: inter quas & splendoris & potentiæ plurimum urbs Olynthiorum obtinuit. Apud Xenephontem Historiarum Græcarum lib. v. Cligenes Acanthius in oratione ad Lacedæmonios: *Id quidem prope vos universos scire necesse est, Olynthum inter urbes Thraciæ maximam esse. Atque hi quædam oppida sibi adjunxerunt ea conditione, ut legibus iisdem tanquam in eadem Rep. vivant. Mox quædam etiam de majoribus oppidis ad se pertraxere. Secundum ea porro ad liberandum urbes Macedonicas ab Amyntæ Regis imperio animum adjecere. Parentibus iis, quæ ipsis erant proximæ, confestim etiam ad remotiores amplioresque perrexerunt. Nos quidem domo proficiscentes ita reliquimus eos, ut jam præter alias complures urbes Pellenam quoque tenerent, inter urbes Macedoniæ longe maximam. Amyntam ipsum intelligimus oppidis suis excedere, tantumque non Macedonia tota jam excidisse.* Quum nonnihil interjecisset, idem Cligenes: *Omnino tamen hoc quoque vos scire volumus, potentiam illam, quam esse diximus amplam, necdum inexpugnabilem putari debere. Nam quotquot oppida nunc præter voluntatem suam Reip. ipsorum societate continentur, si quam potentiam adversariam conspexerint, mox ab eis deficient. At si mutuis connubiis ac bonorum adquisitionibus (quod facere decreverunt) inter sese compingentur, ac esse fructuosum animadvertent sequi eos, qui rerum potiuntur, fortasse non tam facile dissolvi vires ipsorum poterunt.* Quandoquidem vero versamur in Thracia, transmisso Bosphoro, in Minorem Asiam brevi provolemus excursione. De *Caribus* Strabo lib. XIV. *Prope urbem ædes extat Jovis Chrysaorii, cōmunis Caribus omnibus, qui eo ad sacrificia & deliberationes*

tiones de rep. conveniunt. Ipſum conventum pagorum hunc vocant Chryſaoreum: & qui plures pagos præbent, ii ſuffragio antecellunt, ut Ceramietæ. In hoc conventu ſunt etiam Stratonicei, quanquam non ſunt Carici generis, quia tamen pagos habent Chryſaorei conventus. De *Lyciis* eodem libro: *Lycii ita civiliter ac modeſte vitam, idque conſtanter tranſegerunt, ut Cilicibus piratis ob ſecundos ſucceſſus mare ad Italiam uſque obtinentibus, ipſi nulla turpis lucri cupiditate impelli ſe fuerint paſsi, ſed in patria adminiſtratione Lyciaci Syſtematis permanſerint. Tres & viginti ſunt urbes, quæ in eo concilio jus habent ſuffragii: ad id coëunt è ſingulis urbibus in eam, quæ ipſis commoda videtur urbem. Maximæ urbium jus habent trium ſuffragiorum, mediocres duorum, reliquæ unius: Eadem proportione & tributa pendunt, & reliqua obeunt munia. Artemidorus, ſex maximas recenſet, Xanthum, Patara, Pinara, Olympum, Myra, Tlôn, ſitam in tranſitu montis verſus Cibyram. In concilio primum creatur Lyciarcha, id eſt, Lyciæ princeps: tum reliqui ejus corporis magiſtratus: publica etiam judicia deſignantur. Nec non de bello & pace antiquitus conſultabant: nunc, niſi Romanorum permiſſu, qui eam ad ſe tranſtulere poteſtatem, non licet hoc illis. Iudices quoque & Magiſtratus, eadem ſuffragiorum proportione, pro ſingulis deliguntur urbibus. Hoc modo illis bonas leges tenentibus, evenit, ut perpetuo à Romanis libertas iis & avitorum fruitio bonorum concederetur, ac viderent piratarum Cilicum internecionem.* Adhuc eodem: *Phaſelis etiam urbs & Lyciæ, in confinio ſita Pamphyliæ: ſed per ſe conſtat, neque communitatis Lyciorum eſt particeps.* Suetonius in Claudio: *Lyciis ob exitiabiles inter ſe diſcordias libertatem ademit.* In Hiſtorica Iſagoge, quam comitem Scaliger Euſebio dedit:

Clau-

Claudius Lycios seditiosius agentes, ita ut Romanos quoque nonnullos interficerent, in servitutem redegit, ac Pamphyliæ præfecturæ attribuit. Denique de *Cibyratis* lib. XIII. Strabo: *Cibyratæ dicuntur prognati è Lydis qui Caballidem obtinuerunt: urbem Pisidiæ finitimam transtulerunt, & condiderunt aptissimo loco, cujus circulus stadiorum fere centum. Crevit ob legum bonitatem, & pagi ejus porrecti à Pisidia conterminaque Milyade usque ad Lyciam & Rhodo oppositam continentem. Accidentibus autem tribus finitimis urbibus, Bubonibus nempe, Balburis, & Oenoandro, huic systemati nomen Tetrapolis est factum. Unaquæque Urbs suum habuit suffragium, Cibyra duo: Quippe quæ mitteret triginta peditum, duo equitum millia.*


LIBRI SECUNDI FINIS.

IOAN-

JOANNIS SCHILDI DE COALITIONE POPULORUM, AC RERUMPUBLICARUM LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Celtiberorum Coalitio.



Reflectatur ad Occidentalia cursus. In Hispania florentissima quondam res Celtiberica fuit. Claritudinem nominis, ac rerum, coalitioni gens debuit. In Historica Bibliotheca Diodorus: *Duo Populi, Iberes & Celtæ, cum de Agris quondam bello disceptarent, pace tandem inita, Regionem promiscue incoluere: & contracta mutuis inter se connubiis affinitate, commune ex hac permixtione nomen accepisse memorantur. Cumque duæ Gentes validæ, quibus fertilis Regio suberat, ita coaluissent, ad ingens gloriæ incremen-*

tum ut Celtiberes progrederentur, evenit. Concinentes audiamus etiam Poëtas: Silius Italicus:

Venere & Celtæ ſociati nomen Iberis.

Lucanus:

——— *Celtæ miſcentes nomen Iberis.*

Martialis:

Ille meas gentes, & Celtas rexit Iberos.

Videlicet ab hoc ſole coalitionis ille ſplendor, qui tantopere fulget in auctorum monumentis. Florus: *Celtiberi, robur Hiſpaniæ.* Oroſius: *Omnes Romanos ingens Celtiberorum metus invaſit: & ex omnibus non erat, qui ire in Hiſpaniam vel miles vel legatus auderet.* Epitome Liviana: *Cimbri vaſtatis omnibus quæ circa Rhodanum & Pyrenæum ſunt, per ſaltum in Hiſpaniam tranſgreſſi, ib que multa loca populati, à Celtiberis fugati ſunt.* Fugavere Celtiberi Cimbros, qui, perhibente Vellejo Paterculo, Cæpionem Manliumque Conſules, & antea Carbonem Silanumque fuderant ac fugaverant in Galliis, & magnis exercitibus exuerant. Cimbros, quos parvam ſuo quidem ævo civitatem Tacitus, ſed ingentem gloria perhibet: veteriſque famæ late manere veſtigia, utraque Rhodani ripa caſtra, ac ſpatia, quorum ambitu tunc quoque metiri molem manuſque gentis, & immenſi fidem exercitus, liceret. At intelligendis coalitionis bonis impar Hiſpania cætera fuit. Teſtatur enim Florus, Hiſpaniæ nunquam

quam animum fuisse adversus Romanos universæ consurgere: nunquam conferre vires suas libuisse, neque aut imperium experiri, aut libertatem tueri suam communiter. Alioquin ita undique mari Pyrenæoque vallatam esse, ut ingenio situs nec adiri quidem potuerit. Sed ante à Romanis obsessam fuisse, quam se ipsa cognosceret. Denique solam omnium provinciarum Hispaniam vires suas, postquam victa fuit, intellexisse. Cur haud intellexerint maturius, expressit insigniter in tertio Geographiæ Strabo: *Quod autem Græci ad barbaras gentes evagati sunt, caussa videtur fuisse in exiguas portiones distractio, & principatus eorum, qui ob fastum complicari & invicem consortia tueri non possent: unde contigit, ut contra extrinsecus invadentes viribus non essent pares.* Pergit: *Hæc contumacia maxime apud Hispanos aucta est, accedente vafritie ingenii & dolosa varietate. Nam homines ii insidiosum & prædatorium vitæ genus sectati, ad parva audaces, nihil magnum moliti, magnæ potentiæ societatisque constituendæ conatum posthabuere. Qui si testudine facta tueri se voluissent* (εἰ γὰρ δὴ συνασπίζειν ἐβούλοντο ἀλλήλοις) *nunquam licuisset aut Carthaginensibus, incursione facta, majorem Hispaniæ partem nemine prohibente subigere, aut ante hos Tyriis, & Celtis, qui nunc Celtiberi & Verones dicuntur, aut postea temporis latroni Viriatho & Sertorio, & si qui alii ad majus in Hispanos imperium animos adjecerunt. Et Romani, per partes, Hispanorum modo hanc modo illam ditionem bello impetentes, alias alios domando, multum temporis traxere, donec tandem omnes in suam redegere potestatem, ducentis fere & pluribus usi ad hoc annis.*

Caput II.

De Populis, è quibus Franci coaluere.

IN confinio veri verſatur illorum conjectura, qui non unius populi nomen hoc initio fuiſſe, ſed plurium, putant: eorum nempe, qui conſpirantibus in idem animis, Romanorum ab jugo ſeſe vindicavere, Francorumque ſibi nomen à vindicata libertate fecere. In vetuſta tabula itineraria leguntur hæc nomina: *Chauci*, *Ampſivarii*, *Cheruſci*, *Chamavi*, *qui & Franci*. Sequiturque de hinc ipſa regio, majori ſignata charactere, *Francia*. Enimvero plerique populorum, qui, mare verſus, Rheno claudebantur & Albi, carpi ſe ſingulos ab hoſtibus intelligentes, in unius corporis validiſſimam conſpiraſſe ſocietatem feruntur, ac ſplendidum in ſpeciem magnificumque *Francorum* vocabulum gentilibus ſuis atque privis unanimiter antetuliſſe. Chauci, Bructeri, Chamavi, Ampſivarii, Cheruſci, Chatti, Tencteri, Salii, Friſii, Dulgibini, Chaſſuarii, Angrivarii, quum fortia hactenus agere patique didiciſſent, tandem intellecto, dominatricem Romam in turbido ſtultoque ſuarum piſcari diſcordiarum, gentis periculo nationum condonandas exiſtimavere ſimultates. Claudiani illud huc aptetur:

> *Mens eadem cunctis, animique recentia ponunt*
> *Vulnera.*

Idem

Idem illud ejuſdem:

——— *animoſque ligant conſortia damni.*

Nec non Papinii Statii illud:

——— *ſocioque timore*
Manſueſcunt: ſimul hirtus aper, ſimul urſa lupuſque
Cogitur.

Admoniti damnis, & innumeris expergefacti cladibus à ſtirpe refellendam infortunii ſui radicem decrevere. Artes ſuas, quibus hactenus graſſantem tulerant Romanum, eidem, fatali regnaturientium civium ambitioni manus ac ſanguinem commodanti, remiſere. Propterea viribus animiſque fidenter adunatis, unum quoddam imperii nationumque corpus effecere: cujus ſeſe omnia atque ſingula membra *Francos* appellavere, quaſi quis *liberos* dixerit, ac depoſitæ libertatis inſtauratores. *Germanos ulteriores* indigitat Oroſius, in repræſentatione difficultatum, cum queîs Gallieni tempora conflictabantur. At diſertim, in eorundem triſtitia temporum tangenda, Francos vocat Aurelius Victor. Erat autem Imperium, principem utcunque locum implente Gallieno, inter triginta lancinatum fœdiſſime diſcerptumque procos. Proin, verſa vice rerum, ſuorum cervicibus inhæſere vaſtatorum, ac nutantia rei Romanæ fata proclinavere. Unde totiens in Francorum dicendis incurſionibus, atrocitate, crudelitate, piratica, attolluntur intumeſcuntque Panegyricorum orationes. Sed complures inter provincias, Romano regnatas, Gallici

cumprimis ſoli felicitas intrudentem ſibi ſurculos ſuos admirata Francum fuit. Et videbatur hic quidem in ſervitutem Gallias acturus: ſed mox victores miſcuere ſe victæ genti: ne tam Gallias, quam Romanos in Galliis viciſſe viderentur. Ac ſane Galliarum hodieque portio, Regis Liligeri clara domicilio, Franciſque cum Bellovacis pariter inſeſſa Pariſiiſque, à Francis inſeſſoribus accepta ſuperbit appellatione: quæ ſenſim appellatio, prout deterit atque conſumit humiliora nomina late dominabundum complexa fuit ambitu ſuo Celticam & Aquitanicam Galliam. Majores fluvii

Sic fluvios cogunt unda coëunte minores
In nomen tranſire ſuum.

Ecce vero coalitionis in eadem pridem Gallia guſtum. Cæſar Commentariorum de Bello Gallico lib. I. *Bojos, petentibus Heduis, quod egregia virtute erant cogniti, ut in finibus ſuis collocarent, conceſſit: quibus illi agros dederunt, eoſque poſtea in parem juris libertatiſque conditionem, atque ipſi erant, receperunt.* Lib. II. *Rhemorum conſanguinei Sueſſones, qui eodem jure, iisdem legibus utantur, unum Imperium unumque Magiſtratum cum ipſis habeant.* Lib. VI. *Confines erant Pariſii Sennonibus, civitatemque patrum memoria conjunxerant.* Celſiora Vercingetorix agitabat. Lib. VII. *Quæ ab reliquis Gallis civitates diſſentirent, has ſua diligentia adjuncturum: atque unum conſilium totius Galliæ effecturum, cujus conſenſui ne orbis quidem terrarum poſſit obſiſtere: idque ſe prope jam effectum habere.* Et apud Tacitum, celſiora machinabantur ii, qui capita conferebant, ad ex-

tur-

turbandos è patria Romanos. Hiſtor. IV. *Coalita libertate, diſpecturas Gallias, quem virium ſuarum terminum velint.*

CAPUT III.

Apalachitarum & Coſachitarum, in America, Coalitio.

A barbaris etiam Americanis egregiarum exempla rerum arceſſantur. In Americæ Florida Apalachitæ, gens potentia quondam ac magnanimitate nobilis, etiam nunc habitacula figunt. Quos amor invaſerat illorum tractuum luſtrândorum, de rebus ejus gentis hæc ad amicos, in ſecula & hiſtorias ire digniſſima, tranſmiſere. Exporrecturi magnitudinem nominis, ac ſeſe pariter exuberantis parte multitudinis exoneraturi, populoſas admodum colonias in Mexicanos amandavere. Id occaſionem ſuam interpretati Coſachitæ, qui verſus Aquilonem vergentes, regionem paludibus informem, aſperam cœlo, triſtem cultu adſpectuque, fatigabant, armati derepente in Apalachitas imminutos inſiliere. Mox inito prœlio, æquus fere Mars arma diremit: qualis fortuna prœliorum commodiſſima conciliatrix eſt adunandorum quandoque populorum. Poſtera, quæ prœlium eſt inſecuta, luce miſere Coſachitæ, qui denuntiarent, triſtes & infelices terras ſuas abs ſe damnatas atque derelictas, ut ad beatiores ac florentiores viam aut ferro, aut conditionibus ſibi facerent. Paterentur abs ſe repleri, quas abitu ſuo vacuas in Mexicana profecti

fecti fecissent. Sicuti cœlum crederent Apalachitæ datum diis, ita terras generi mortalium datas: quæque sint vacuæ, eas publicas, ac fortium virorum occupantium esse. Ne adspernarentur habitatores eos, quorum animos ac vires ipsa hesternæ lucis fortuna pares ostendisset: resumturos ilicet ardorem prœliarem, sed aliquanto ferocius & implacabilius, si justissima postulata rejicerentur: ne gentem, destinationis certam, acerrimo ipsi telo desperationis armarent. Sin ad conditiones descenderent, has ita flecti dirigique posse, *ut in unam Rempub. cum Apalachitis Cosachitæ coalescerent.* Haud aversos ab admittendis postulatis hæc legatio reperit Apalachitas. Itum in conditiones est: ut oppida vicosq; mixtim novi hospites incolerent: in æquum jus, æquamque cum indigenis dignationem acciperentur: sacra ac Deos (quos nullos hactenus habuerant) Apalachitarum acciperent: ac sensim in eorundem consuetudines immigrarent. Quod si discretas præoptarent habitationes, haberent sibi pulchram amplamque provinciam Amanam: ea tamen lege, ut utriusque Resp. gentis uniretur, & summus Magistratus unus imponeretur unitæ. Præoptavere discretas in Amana provincia sedes. Nomen ipsum Cosachitarum in Caraïbarum nomen, id est, Adjunctorum, Apalachitæ transformavere. Sed, ecce scopulum ac remoram publicæ felicitatis. Hi Caraïbæ, seu Adjuncti, augescentes indies, ac fiduciam è numero sui sumentes, stare pacto detrectavere, quo fidem dederant, se sacra ac Deos Apalachitarum accepturos. Hinc redivivæ sur-

ſurrexere contentiones, ac ſeculi ſpatium occupavere certamina. Tandem Apalachiticarum cærimoniarum antiſtites, qui, ſub initia coalitionis, populo cunctarum exſorti religionum qualemcunque ſenſum divinitatis injecerant, eo conatus haud irritos intenderunt, ut ipſi inter ſeſe committerentur acerrime Caraïbæ, ac multa pars eorum publice ſanciret, adorandum eſſe fontem atque genitorem vitæ Solem: eum, ritu Apalachitico, in Olaimo monte propitiandum: nec non frequentandum auguſtum Apalachitarum in Bemarina provincia Templum. Iſta ſancientibus expedivere feſtinanter ſuppetias Apalachitæ: ac, Deorum contemtoribus exturbatis, eos ut in Reip. ſic in religionis ad hæc uſque tempora propagatam ſocietatem accepere.

CAPUT IV.

Poloniæ & Lithuaniæ combinatio.

ANte tria fere ſecula (ſic Polonorum numerant Annales) Iagello, Dux Lithuanorum, matrimonio ſibi junxit eam principem, quæ ultima regiæ Polonorum ſtirpis erat, ac admiſſus in regnum Poloniæ fuit ea conditione, ut populus uterque coadunaretur. Ea conditio multo dilata tempore fuit. Quum enim Reges ea poteſtate, quam in Lithuanos & meram & hæreditariam exercebant, exuere ſeſe nollent, eamque Polonorum deinceps electricibus permittere comitiis, identidem diſtulere conventio-

nis effectum, obtentui ſumentes, proceres & populum Lithuaniæ neutiquam id paſſuros, ne illa coadunatione perdundæ diſcrimen dignitatis, ac privilegiorum, adirent. At iidem Lithuani, cum hinc Iagellonicæ ſtirpis occaſum, inde floreſcentem Moſcorum potentiam conſiliis adhiberent, admittendam omnino ſui cum Polonis unionem cenſuere. Verumtamen acerrimæ non exſpiravere contentiones, ſed, quanquam in unam coiviſſe Remp. viderentur, adeo nihilominus exarſere ſtudia partium, ut in omni decreto publico Lithuani vel ſeceſſionem facerent, vel adponi notam poſtularent, qua dignoſceretur Polono nihil eſſe juris in Lithuanum. At Sigiſmundus Auguſtus, ultima Iagellonum progenies, omni vi connixus eſt, ut hanc animorum corrigeret alienationem. Utriuſque dignationem nobilitatis æquavit: ipſe Grodnam civitatem, in utriuſque regionis collimitio ſitam, perpetuam fere ſibi regiam delegit: Proinde videbatur utrique populo gratificari, & ad juſtitiam adminiſtrandam, & ad auxilia ferunda, æque commodus ac opportunus. In monetis etiam, quæ poſt initam cum Moſco pacem percuſſæ ſunt, aſſeruit, utrique populo abs ſe reſtitutam eſſe Livoniam, & Polocium. Quibus moribus, æmulatricibus utrinque partibus egregie ſatisfaciebat. Et hinc emitigata populorum ingenia ſenſim coaluere.

CAPVT

CAPUT V.

Notabilia in Helveticorum Unione.

QUæ digniora ſpectatu videntur in inclytæ gentis Helvetiæ nationum unione, è fœderibus ipſorum ac rebus excerpta, ſummo tenus ore libemus. Quemadmodum Brutus, haud acrior vindex quam cuſtos libertatis, exactis Regibus omnium primo populum, ne poſtmodum flecti precibus aut liberalitate regia poſſet, jurejurando adegit, neminem Romæ regnare paſſuros: ita Principes & anteſignani defectionis ab Auſtriaca domo, Urani, Suitenſes, Underwaldii, ſanctiſſimo fœdere percuſſo, in primo ejus capite cavere: *Ne quis imperium Principis ullius admitteret.* In eodem fœdere ſanciuntur hæc quoque capita: *Ne quiſquam fœderatorum extraneum quemcunque, ſine conſilio & conſenſu reliquorum, auxilio qualicunque juvato. Ne quis fœderatorum cum extraneo quoquam, abſque reliquorum aſſenſu, in ullam deſcendere tractationem, aut miſcere ſaltem colloquium, audeto.* In Octo Pagorum fœdere, quatuor quidem eminentiores ſancivere, ne citra lubitum aliorum & aſſenſum obſtringere ſeſe cuiquam jurejurando liceret, aut pactiones facere, fœduſque ferire: cæteri liberam ſibi facultatem nova feriundi fœdera reſervavere, ſalva tamen & excepta fœderum antiquiorum reverentia. In eodem fœdere Lex illa: *Qui damnatus fuerit, & à ſuo Pago proſcriptus, hunc etiam cæteri Pagi proſcribunto, & à finibus ſuis arcento.* Sed in eo fœdere,

quo quinque postremi Pagi cum vetustioribus octo compinguntur (sic enim pervenit ad tredecim res Helvetia Pagos sive Cantones) hoc spectabile caput est: *Recentiores Pagi nullum cum quoquam fœdus faciunto, inscientibus aut obloquentibus antiquioribus Pagis: ac, si bello inter se committantur antiquiores, neutri parti semet applicanto recentiores, sed operam paci procurandæ danto.* In subacta bello, id est, provincias ac præfecturas, inæquale Pagorum imperium est: quas olim suo quisque sumptu ac milite subegit, in illas imperium exercet: quas postea tredecim Pagorum arma conjuncta subegere, hæ omnibus ex æquo parent. Bernates inter, ac Tigurinos, conventum seorsim est, ut utrinque diversa civitatum regundarum ratio mutuis auxiliis illibata servaretur: Tigurinis auxiliaturos sese Bernates pollicebantur, ne quis formam Reip. labefaceret, ac tribus eorum abolitum iret: rursum Tigurini sese Bernatibus adjuvandis obstrinxere, ne quis in eorum Remp. suffragatrices tribus inveheret. Iidem Tigurini, quamvis quinto demum loco recepti fuerint in Cantones, meruere tamen antiquitate, potentia, fide, ut præsidendi decore Cantonum in consessibus enitescant. Indicendorum comitiorum penes hos auctoritas: sin uni pluribusve Pagorum è republica videatur, ut junctim omnes eant in consilia Pagi, refertur ea de re prius ad Pagum Tigurinum, ac missis litteris cunctorum poscitur evocatio Pagorum: quod si omnem cunctationem negotia damnent, tum singulis Pagis cæteros sibi fœdere junctos ad jungenda corrogare consilia fas est. At ex-

exterorum legati ſolos poſcunt comitia Tigurinos. Oppidum Bada gentem coëuntem excipit: quod oppidum, in meditullio fere Cantonum ſitum, octo Cantonum imperiis obnoxium eſt, ita ut major coëuntium pars eodem iſthic parique jure potiatur. In mittendis legationibus id moris eſt, ut ad fœdera quidem cum principibus aut rebuſpub. percutienda ſuorum aliquos nulli non Cantones ablegent: ad cætera cunctorum auſpiciis obeünda pauciores ablegantur. De præda partiünda præſcripta Lex eſt in Decreto Stantiano: *Præda bello capta, aut quidquid hoſtes pro captorum redemptione perſolverint, pro copiarum numero, quas ſinguli miſerint ad exercitum Cantones, æquabili portione diſtribuitor: at in tormenta bellica, in Arces, Oppida, Regiones, Vectigalia, more majorum par omnium jus eſto.* Æquari, inquam, jus omnium in præda publica placuit, etiamſi Pagi potentiores quintuplo majores copias aliis eduxiſſent. Externo principi dexteras in bella commodantes, ſi aut commune nominis Helvetii vexillum, ſpectabile tredecim Pagorum inſignibus, aut ſaltem Pagi unius peculiare ſequantur, haud facile popularium manus in hoſtili acie inveniunt, pœna capitis, ac bonorum perdundorum, in eos ſancita, qui armati contra publica patriæ vexilla ſteterint. Haud integrum eſt externo principi, diſpertiri copias Helveticas, ſi prœlii ſubeunda ſit alea, ut animoſius unitæ pugnent, ac in minus aliquanto diſcrimen Helvetici gloria nominis eat. Ac diſponuntur oppidatim Pagatimque copiæ, ut honos & infamia fortes ignavoſque diſcernant. Ne

X 3 pactis

pactis insidiaretur oblivio, sic cautum est in Decreto Stantiano: *Ut omnes juvenes ac adulti nostra fœdera firmius memoria teneant, & servent fidelius, statuimus, ut in posterum singulis quinquenniis per omnes Pagos fœdera jurejurando dato renoventur.* Polybio si credimus, Athenienses Rhodios omnes sua civitate donavere, ac reciprocam Atheniensibus exhibuere munificentiam Rhodii. Ejuscemodi fœdus est illud, quod inter Valesios, & quinque Pagos Helvetiorum minores, ictum aliquando fuit: tum etiam Bernates inter, ac Friburgenses: imo etiam aliquando Genevates inter, ac Bernates. Quorum ea vis fœderum est, ut mutua sit inter ipsos communicatio, civitatis, & amicitiæ non intermoritura fides: ac si qui è sociis, deserta sua civitate, sociæ civitatis incolatum præhabeant, momento cives ac subditi fiant alterius civitatis, sine cooptatione, rogatione, aut rescripto singulari. Prætorem, seu Gubernatorem, gens Helvetia nullum creat: quapropter illic nemini, quantumvis ambitione præfervido, summæ spei licet imminere.

Caput VI.

De Septem Belgii Provinciarum Unione.

Patuit Imperatore Carolo Belgarum potiunte quantum abeuntes in diversum Provincialium mores possent. Regni enim unitatem in Belgio molientis ambitionem discrepantia populorum instituta castigavere. Nam quum

quum flagrantiſſime cuperet haſce Provincias in Regni transferre formam(id quod attentaverat olim proavus ejus Carolus Pugnax) damnare propoſitum coactus eſt: quod videlicet ad unius regiminis formam , qua Regnum conſtat , ægre omnes Belgæ,tantopere multa conſuetudine variantes,componi adſtringique poſſe viderentur:nulla Provinciarum alii conceſſura , aut in alienos mores , tanquam pulchriores,immigratura. Unde Belgarum Principi moris fuit, præter urbium rectores, ſingulis Provinciis imponēdi Præfectos, qui pro ipſarum conſuetudine legibuſq; Remp. adminiſtrarent. Idem Carolus quum anno CIↃ IↃ LV. ſponte principatu ſemet exueret , in allocutione ad nationum Belgicarum legatos, hæc inter cætera profudit: *Quanquam Belgicæ Provinciæ eſſent diverſæ atque ſeparatæ , ab iis tamen unum conſtitui corpus, atque ejus corporis membra debere opem inter ſe ferre mutuam. Nam abſque tali concordia atque conſpiratione partium , promptum hoſtibus fore ipſas invadere : quod ſi manerent inter ſe colligatæ,& aliæ aliis auxilio eſſent, experimentis compertum , quid poſſent externa vi repellenda.* Poſtea , propter Burgundicæ domus impotentiam , magna rerum mutatione facta , pleræque Provinciæ, pro aſſerenda libertate , magnanima ſemet unione devinxêre. Sed ineſcatæ , ut fit , aliquæ liberalioris regiminis ampliſſima pollicitatione , à tam ſancti fœderis religione diſceſſere. Quæ conſtantiam magnifici operis ſervavere, ſex, ac deinde ſeptem extitere.Hę nova ac tenaciori unione Trajecti ad Rhenum ſeſe conglutinavere. Sancitur in ea , *omnes haſce nationes inter*

ſe

ſe vinciri colligarique, ac ſi una natio eſſent. Anteambulones ad ejuſcemodi colligationem extiterant Hollandi Zelandique, in eo fœdere, quod ipſi inter ſe ſoli anno CIↃ IↃ LXXVI. icerant: in quo fertur, *rem belli inter fœderatos dirigendam ea concordia atque conſenſione, quaſi eæ nationes atque oppida unius duntaxat oppidi reſpublica eſſent.* Attamen illud Trajecti ſollicite cautum cumprimis eſt, & quidem in primo capite fœderis: *quod tamen ſine fraude ſit legum, libertatis, juris & morum cujuſque nationis, oppidi, partium ſingularum, ac civium: quæ fœderati ſanguine, facultatibus, opeque omni defendent ac propugnabunt adverſus vim à quocunque illatam.* Alia nonnulla, ſpeciatim animadvertenda, in eadem ſpectantur Unione: Cap. IX. *Pax, induciæ, bellum, vectigalia communia, non plurium, ſed omnium Provinciarum ſuffragiis decernuntor: reliqua plurium conſenſus conſtituito.* Cap. X. *Nulla provincia, civitas, aut membrum hujus corporis, abſque conſenſu reliquorum, fœdus cum quoquam ſeorſim inito.* Cap. XIX. *Non comparentibus ſtatuto die quibuſdam, aut ſententiam ſcripto comprehenſam non mittentibus, decernendi jus penes præſentes eſto: niſi forte negotium prægrave, moræque patiens, in conſilia ſit mittendum.* Capp. XXIV. & XXV. *Non modo magiſtratus & officiales ſingularum provinciarum, civitatum atque membrorum, verum etiam ſodalitates atque collegia, vicorum pariter ac urbium, ſanctiſsimo jurejurando hanc coadunationem firmanto.* Cætera Belgarum Unitorum, tanquam pervulgata nimis, omittamus.

CAPUT

CAPUT VII.

Angliæ & Scotiæ Unio.

TAcitus in Agricolæ Vita : *Britanni olim regibus parebant, nunc per principes factionibus & studiis trahuntur. Nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius, quam quod in commune non consulunt. Rarus duabus tribusve civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus. Ita, dum singuli pugnant, universi vincuntur.* Correxere tamen errorem. In eadem Vita : *Britanni nihil fracti pugnæ prioris eventu, & ultionem aut servitium exspectantes, tandemque docti commune periculum concordia propulsandum, legationibus & fœderibus omnium civitatum vires exciverant.* Sed & hunc distractionis errorem subsecuta corrigere secula tentavere. Quum enim diu Heptarchiam, id est, septem Regna, tolerâsset Anglia, tandem Egberto Rege, in unum omnia coivere. Is, ut quæ in unius imperium regna devenissent, in unum item nomen coirent, atque ut sui memoriam populi perpetuaret, omnem regionem, diversa diffidentem hactenus appellatione, promulgato edicto jussit universim Anglorum Terram nominari. At Jacobi Regis, Angliam Scotiamque coadunantis, ingentem animum illustrissimus Thuanus ad annum CIↃ IↃCIV. repræsentavit. Quum enim prima Regni comitia, XIV. Kal. April. veteri calculo, magna frequentia celebraret, lingua populari splendidam habuit orationem, in qua hæc præ cæteris elucebant. *Nec solum*

lætari, quod pacem externam auſpiciis regni nactus ſit, ſed multo magis quod domeſticam adventu ſuo firmaverit, unitis, quæ divulſæ erant, ditionibus ampliſsimis. Non parum ab Henrico VII. à quo genus ducat, olim profectum, cum luctuoſas & miſerabiles diſcordias, quæ, binis familiis crudeliter diſſidentibus, Angliam paullum abfuit everterunt, in ſe unitis, tandem tragicis tot annorum calamitatibus finem impoſuit. Plus adventu ſuo factum, ſopitis antiquis odiis, quæ bellorum exitialium plerumque cauſſæ extiterunt: & acceſsionem magnam ad priſtinam potentiam, Scotorum regno nunc legitima ſucceſsione conjuncto, factam. Nam ſi Cambria ſeu Vallia, ſi ſeptem aliæ provinciæ, quæ in totidem ditiones quondam à reliquo corpore ſejunctæ erant, cum unitæ ſunt, corpus ad eam quam cernimus magnitudinem extulerunt: quid cenſendum de recenti maximi regni, generoſæ juventutis ac tot nobilium familiarum gloria freti, ad Angliam quaſi ad reliquum corpus acceſsione? Quapropter quod Deus conjunxit, homo ne ſeparet: ſe maritum, totam inſulam ſuam eſſe uxorem, ſe illius caput, illam corpus, ſe paſtorem, illam ovile ſuum eſſe. Qui contra mutire auſi fuerint, qui cœlo prædeſtinatæ regnorum olim divulſorum conjunctioni ſe oppoſuerint, aut ignorantia turpiter labi, aut maligne ac ſcelerate peccare. Nam dignitates, privilegia, immunitates ac prærogativas, illa in ſuam perſonam quaſi confuſione, non labefactari & evaneſcere, ſed coaleſcere potius & magis ac magis confirmari. Primos infantiæ vagitus ſe Regem Scotiæ dediſſe, maturum virum in Angliam, atque adeo utriuſque regni per ſe conjuncti adminiſtrationem afferre. Deſideratæ autem fruſtra à tot ſeculis unionis, & nunc raro Dei beneficio conceſſæ, conſervandæ certam ſpem affulgere per eximiæ ſpei prolem, Dei pariter

riter benignitate concessam, qui valetudine prospera sunt, & pares animos ad remp. sunt allaturi. Unione potentissimorum regnorum tantopere deprædicata, hoc agebat Jacobus, ut abolitis Anglorum & Scotorum nominibus, antiquum Magnæ Britanniæ nomen in sermones hominum revocaretur. Initio obluctabantur Angli, his fere rationibus innixi: *Hujusmodi mutationes non temere fieri debere, nisi aut urgente necessitate, aut manifesta utilitate suadente: atqui nihil urgere, nullum ex eo emolumentum ostendi. Uniones regnorum aut matrimoniis, aut per victorias, fieri. Novi regni institutione, alterius antiquioris memoriam dissolvi & exstingui. Ea re magnas incommoditates ac confusiones in negotiis, in comitiis convocandis, in sigillis, munerum publicorum distinctione, legibus ac constitutionibus sanciendis, libertatibus, privilegiis, curiis, quæ in regio comitatu sunt, actis publicis, privatorum contractibus, consecuturas. Et siquidem contingat, ut Rex, quod absit, sine liberis decedat, aut liberi ejus sine prole deficiant, illa unione & regnorum confusione futurum, ut paterni nominis hæredes in Angliæ regno sibi jus arrogent, exclusis legitimis Anglici nominis hæredibus, quod esset iniquissimum. Præterea prærogativam cum aliis regibus hac unione exstingui, & de jure illo condentibus inde materiam disceptandi præberi. Nomen Anglicanum à tot seculis, & nunc maxime percelebre, Britannico, etsi olim illustri, jam tamen obsoleto, mutari periculosum videri. Anglicanum nomen Scoto semper olim sine controversia præivisse, nunc confusione facta, & Britannico adsumpto, antiquari. Id populis summe displiciturum, qui antiquo nomine gaudent, & ominosum ducunt, abolita prisci temporis memoria per novas agnominationes præpostera ambitione majorē gloriam obscurari.*

Hæc tunc temporis haud citra multam agitata ſunt altercationem. Ad extremum Regis auctoritas evicit, ut Magnæ Britanniæ nomen acciperetur, & unio Regnorum unius nominis appellatione ſanciretur: neque deinceps neceſſe foret in finibus alere præſidia, aut novis munitionibus, ad hoſtium incurſiones averruncandas, limitanea firmare. Cuſi in eam rem nummi aurei & argentei, cùm inſcriptionibus: *Quæ Deus conjunxit, nemo ſeparet. Tueatur unita Deus.* Angeloti & cuſi cum hac inſcriptione: *Faciam eos in gentem unam.* Item aliud aurei nummi genus, quod hæc verba cælata præferebat: *Henricus roſas, regna Jacobus.* Imò antequam Angliæ ſceptrum teneret, in Baſilico Doro, ſic filium Rex compellaverat: *Cave, ne potius eo homines cogere, quam ducere videaris. Itaque ſucceſſu temporis & paullatim id fiat: quotidianæ vitæ conſuetudine, & mutui conjugii fœdere devinctis inter ſe populis, ut non ægre tandem coaleſcant. Quod inter has duas gentes eo facilius confieri poteſt, quia eandem tenent Inſulam, ac religionis & linguæ unione jam continentur. Ita hæreditario & prope naturali eorum odio, quod ex diuturnis bellis, cruentiſque & crebris ortum eſt præliis, ſuccedet ex hac Politiæ unione, rerumque & mercium communione, firmiſſima & individua eorum inter ſe concordia. Cujus amicitiæ (Deo ſit gratia) longe ſuaviſſima jam quoque ſentimus initia, ex hoc inter Reginam ſororem meam chariſsimam, & me, diuturno feliciqué fœdere, quod inde uſque ex quo regnare uterque noſtrûm cœpit, integrum & inviolatum permanſit.*

FINIS.

